DEFENSIO
Aristotelis & Philosophiæ Peripateticæ
Per enervationem quinquaginta Lutheri Propositionum oppositarum Aristoteli, & suæ Philosophiæ.

TRACTATIBUS TRIBUS COMPREHENSA.

IN PRIMO
Propositiones Lutheri viginti, quæ opponuntur Auctoritati Aristotelis, enervantur.

IN SECUNDO
Propositiones ejusdem quindecim, quibus impugnatur generaliter Philosophia Peripatetica, convelluntur.

IN TERTIO
Tractatu demum, Propositiones aliæ quindecim, Philosophicis Scientiis totalibus, ùt Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, Mathematicæ, & Ethicæ adversantes, refelluntur.

Auctore P. GEORGIO GENGELL Societatis JESU Theologo.

Cum Gratia & Privilegio Sac: Cæs: Regiæque Majestatis.

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societ: Jesu ad S. Clementem, per Joachimum Joannem Kamenicky Factorem, Anno 1713.

ILLUSTRISSIMO DOMINO DOMINO
GEORGIO DZIEDOSZYCKI
Supremo Regni Stabuli Præfecto, Capitaneo Żydaczoviensi &c. &c.
Domino & Patrono Faventissimo.

ARmis & Astris Tuis, Illustrissime Domine, defendi pronior ad Te cum demissione pergit Aristoteles & Philosophia Peri-

paterica, pro qua, in Illustrissima Domo Tua, militat æther, & Summus Heroicæ indolis Apex, uterque Tibi Gentilitio fœdere cognatus. Illustrissimum nempé sanguinem illis à sideribus traxisti (Lunam enim Stellis cornutam, & Sagittæ præfixam refers) quæ nervum sufficerent contra hostes Patriæ, Libertatísque Polonæ, at etiam contra insectatores Aristotelis & Philosophiæ, bonarúmque Artium. Nec satìs est si te miremur in antiquissima Stirpe ex eo, quòd tanto Comitatu domesticum decus & collecta ex Atavis Tibi Gloria affulgeat, & Unus totius Nobilitatis Compendia deferre videaris, quocunque Te moveris. Quot enim ingentium Heroum Nomina in Te exhibes? Quot Majorum Splendores accendis! nimirum illa Prosapia profluxisti, o Gemma Procerum! quæ tempore vetustissima, Spatiis terrarum pænè immensa, Majestate & Ducum nexu, amplissima. Hac è Stirpe crevisti, in qua dum omnia conspirant ad æternitatem famæ, sola magnitudine laborat. Sed illud Antiquissima Domus Tua fecit Orbi terrarum clarissimum, quòd immortalitatem suam à Sapientia derivâsset, veriùs immortalitatem Sapientiæ asseruisset. Quisquis enim

enim Defenſor Veritatis exſtitit, animam Scientiis dedit. Tu etiam vitam & Sanguinem accepiſti, ut literis eundem litares. Summa proinde ingenii Tui felicitas, Scientiarum avidiſſima, liberalium Artium tenaciſſima, fecit, ut pænè Adoleſcens occupaveris Gloriæ maturitatem, & ſinè ulla exſpectatione aſſecutus ſis, quæ diu ſolent Sperari, nimirum Scientias ſuperâſti ante Annos: difficultatem Philoſophiæ ademiſti, cùm ejus Theſes implicatas in Collegio Leopolienſi Societatis JESU diſtingueres, cùm defenderes, materia oppugnandi deerat. Laborant nempe magnitudine propria capaciſſimæ indoles, & infelicitatem ſuam experiuntur, dum non habent, quod ſuperent. Emerſiſti demum in publicum, ut Te omnium ambirent ora, qui Philoſophiam, id eſt, Amorem Sapientiæ, ubique ſpirares. Uno ex Ore quoties Oracula petebat Orbis! Oratorem egiſti à Sereniſſimo & Potentiſſimo Rege Auguſto etiam Romæ, ità, ut nunquam dulciùs loquuta ſit Romana Majeſtas. Et quamvìs inter maxima verſareris Capita, ibi quoque, non tam ſeptem Collibus, quàm Auguſtis Meritis, extendebas Magnitudinem. Detraxerit aliis juſta pretia Conſvetudo ipſa, Tu quò familiariùs dabas Te Purpuratis Patribus,

 eò

eò major fama uſque ad Tuam contingebat Patriam; quòd intrà Cardines verſareris, nec haberes, quod ad Purpuras erubeſceres, niſì quòd digna murice loquereris. Probavit diſertiſſimi Oris Majeſtatem, Orbis Caput Innocentius XII. (an potiùs Innocentia) nec tantùm vivæ Vocis Oraculo, multa Oratori indulſit, at etiam oneravit donis. Ivisti Mercurius à Polono Jove ad Auguſtiſſimum Leopoldum, nec minore Svada loquutus es, quàm ſi Polo cum terris, Polonis Aquilis cum Cæſarea Aquila Commercium foret. At quantum Adriatici Regina Maris Veneta Reſpublica excepit! Certârunt oculi cum Auribus, Aures cum oculis, & niſì in Continenti illa foret Reſpublica, unam integrâſſet cum Polona. Interim dum negotia pacis eâ, quâ par erat celeritate Legatus tranſigit, illum ſuſpirabant anxia populorum vota. Itaque antè optabatur, quàm abiret: antè redibat, quàm ſperaretur ſemper Comite Sapientia & Geſtorum Magnitudine. Ubi Te reddidiſti Patriæ, meliorem etiam Reipublicæ Faciem inſpirâſti. Mox in Areopago Polono tanta Judicem integritate geſſit Heros Noſter, ut Libram ad æſtimandas, gladium ad reſecandas lites, fugiente ab Aſtræa vindicâſſe ſit viſus. Mox in Comitiis integerrimus Boni publici Aſſertor, & liberæ

beræ Vocis Oraculum. Vigilat præ foribus Tuis semper affusa tum Curarum, tum Civium Multitudo, etiam dum publicæ Calamitates Te sibi eripiunt, nec solùm Te Judicem, sed Arbitrum volunt, nec minori observatione accipiunt Tua Consilia, quàm Oracula. Illustrissimum Parentem Tuum Palatinum Podoliæ Consiliorum Arbitrum, liberalium Artium Tutorem, quid memorem? Satìs est dixisse, quòd nullus Splendor maximos Paterni Materníque Tui Stemmatis Manes Singulatim illustravit, qui in Te Uno, tanquam omnium decorum Compendio, non eluceat. Illustrissima quoque Parens Te effudit, quæ Minervam ageret, si plùs quàm Cerebro Jovis Herculi Polono sanguinem debuisset, ut etiam Sapientiæ Clavam porrigeret. Herculem appello Celsissimum Stanislaum Jablonovium, Ducem Martis Lechici, & Castellanum Cracoviensem, qui toties illum cerberum è Tartaria, an Tartaro eductum, domuit, toties Orientem Suis sideribus rubere coëgit, & semper victrici Clava Orbem peragravit. Utinam hoc Columen fata non invidissent Poloniæ. Vivit nihilominus Dux Heroum, & Parens, vivit in Patriæ Scientiarúmque Defensoribus Illustrissimis, altero Palatino Russiæ Magno Joanne, altero Vexillifero Regni, Alexandro Jablono-

blonoviis, qui bellicosorum Doctorúmque Progenitorum Gloriam in Familia bipartitam, in se etiam Solis integrare possunt. Videas istos, tam illustri ingenio, ut politicas inter ambages evolvant literarum nodos : tam ingenti animo, ut nunquam vel fortunæ adversitate, vel negotiorum diversitate Musas sibi eripi patiantur. Omnibus denique Ministeriorum dotibus ità præditos, ut illorum mentem sublimem probarint Principes, dilexerint populi, suspexerint Exteri. Tantos verò taléſque Heroës, potissimùm sibi vendicat Philosophia, ut pæne ideo lituos inter & literas, posteritas enutritos crederet, quod de Philosophiæ Thesibus aliquando triumphaturi essent. Quanto enim plausu! quantis Acclamationibus, Lutetia, illa Sapientiæ Mater, geminum hoc Equestrium Virtutum & liberalium Artium, Spectaculum absolutum excepit, cùm in amplissima Scientiarum Arena, in Claro-Montano Collegio Societatis JESU, Theses Philosophiæ pari Disputationum subtilitate & soliditate propugnarent! Respirare videbatur inter Galliarum Lilia Severior Disciplina, & flores colligere ex Spinis nodosæ Scientiæ. Et hic est Tuæ & Tuorum Sapientiæ Amor, cui nè quidquam deesset,

ſet, illam Tibi adlegiſti Conſortem, Illuſtriſſimam Marianam Tereſiam, quæ Muſas Suo concluderet in pectore ex Zamoyſciis (Neque enim illi vivere poterant, nisì bono publico, & literis) egregiam verò in ſuperos pietatem, rerum Sacrarum amorem ſingularem aleret inter præcordia. Domum hanc, Palladium dixerim, quod feliciùs ſtaret pro Polonia quàm pro Troia. Cùm igitur ſtipendio ſit Tua Philoſophia, & à Te olim ante Annos viginti ſex benignè accepta in Theſibus Philoſophicis à me Tibi per Philoſophum Diſcipulum dedicatis, meritò etiamnum jam ipſe Tibi ejus adſcribo Defenſionem

ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Devinctiſſimus

GEORGIUS GENGELL,
Societatis JESU.

FACULTAS
R. P. Præpoſiti Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

Cùm Opus, quod inſcribitur. *Defenſio Ariſtotelis & Philoſophiæ Peripateticæ* à Patre Georgio Gengell Societ: JESU Theologo conſcriptum, aliquot ejuſdem Societ: Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab Admodum R. P. Noſtro Michaële Angelo Tamburino Societ: Noſtræ Præpoſito Generali facultatem concedo, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet,ità videbitur. Cujus rei gratia has literas manu mea firmatas, Sigillóque munitas dedi Torunii die 23. Januarii, Anno 1713.

RAPHAËL TACZANOWSKI.

PRO-

PROLOGUS.

N*Uper, Defensionem Theologiæ Scholasticæ, per Enervationem ultra Sexaginta Lutheri Thesium, Theologiæ oppositarum, Tractatibus Quinque comprehensam, publicæ luci proposui: nunc, ut appromiseram, Defensionem Aristotelis & Philosophiæ Peripateticæ per Enervatiouem Quinquaginta Lutheri Propositionum, Aristotelis Auctoritatem, Philosophiámque Peripateticam impugnantium, libuit proponere in tres Tractatus divisam. Dixi hîc,* Propositionum *non* Thesium. *Quia major pars earum non est desumpta ex publicis Disputationibus à Luthero habitis, sed ex ejus libris variis, & Epistolis ac Colloquiis Mensalibus.*

Cur verò Philosophiam, & Aristotelem defenden-

dum susceperim, si benevole Lector ex me causam inquiras, hanc habeto. Slicet, Quia ex Defensione utriusque hìc proposita, sat manifestè evincitur, Lutherum fuisse veritatis, scientiarúmque hostem: proinde à suis erroneè nominari Virum sapientissimum, Veritatis Propugnatorem, Doctorem Sanctum, ac Ecclesiæ Christi Reformatorem. Honestum itèm est, agere Patronum Innocentiæ, ac Veritatis. Accedit. Quia, ut rectè notârunt graves Theologi, Carthusianus, Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsæ, Theophilus Raynaudus, & alii, non est Fidei Christianæ commodum, levi de Causa tantum Virum erroris insimulare, pro aliénisque Castris stantem inducere: præsertim ubi agitur de talibus quæsitis, quæ ipsô lumine naturali sat evidenter decidi possunt: ut Immortalitas Animæ rationalis: Existentia, nec non Providentia DEI ter Optimi Maximi, cui Honor & Gloria.

Elen-

Elenchus Propositionum Lutheri quinquaginta, quæ in hoc libro enervantur.

IN TRACTATU PRIMO.

IN TRACTATU SECUNDO.

VI. Pe-

IN TRACTATU TERTIO.

VI. To-

TRACTATUS PRIMUS.

Lutheri Propositiones, quæ opponuntur Auctoritati Aristotelis, enervantur.

I.

ARistoteles asinus otiosus fuit. In Colloqu: Mens: cap. 73. Titulo de Doctis.

O Brutum, & mendaciter contumeliosum Lutheri judicium! Illéne fuit asinus? quem Sapientiæ Antistes Plato, nunc Mentem, nunc Veritatis Philosophum, appellare consveverat? cùm enim Scholam esset ingressus, Aristotelémque abesse intellexisset, exclamavit (ùt refert Cælius ex aliis, libro 17. Lect:) *Abest mens.* Et iterum alias. *Abest Veritatis Philosophus.* De quo Cicero, limitatissimi judicii Consul Romanus Scripsit Academ: lib. 2.

Aristotelis laus ex Platone.

Ex Cicerone.

Quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus, vel inveniendis, vel judicandis acrior Aristotele fuit? Et alibi *Cùm omnis ratio diligens differendi duas habeat partes, unam inveniendi alteram judicandi; utriusque Princeps, ùt mihi quidem videtur, Aristoteles fuit.* Aliis itèm in locis: *Flumen* (inquit) *Orationis aureum fundit Aristoteles: dicendi incredibili quadam, tum copiâ, tum etiam svavitate refertus.* Plinius verò dicit, Lib. 18. cap. 38. & lib. 8. cap. 16. *Aristoteles immensæ subtilitatis, & summus in omni doctrina vir.* Justinus lib. 12. ait: *Aristoteles Doctor inclytus omnium Philosophorum.*

Ex Plinio.

Ex Justino.

Ex Averroë.

Averroës Arabs genere, Medicus Professione & Philosophus, ac Commentator Aristotelis, ejus librorum præstantiam admiratus, non dubitavit eum, inter alia his elogiis commendare. In tertio de Anima, Commento 14. dicit. *Aristoteles fuit Regula & Exemplar, quod Natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam in materiis.* Et in Primo de Generatione Animalium. *Laudemus* (ait) *Deum, qui separavit hunc Virum ab aliis, in perfectione; & appropriavit ei ultimam dignitatem humanam, quam nullus homo potest in ulla ætate attingere. Bene dicitur de Aristotele* (ait in libro Destructionum Disputatione tertia) *quòd ipse fuit creatus, & datus nobis Divinâ Providentiâ, ut non ignoremus possibilia sciri.* Et apud Pererium lib. 5. de materia prima cap. primo. *Aristoteles fuit Princeps, per quem perficiuntur omnes Sapientes, qui fuerunt post eum, licèt differant inter se in intelligendo verba ejus; & in eo quod sequitur ex eis.*

Ex S. Augustino & Divo Hieronymo, aliisque.

Imò & à SS. Patribus eximia elogia data sunt Aristoteli. S. Augustinus lib. 8. de Civit. cap. 12. dedit hoc: *Aristoteles Vir excellentis ingenii; & eloquio, Platoni quidem impar, sed multos facilè superans, præclarâ famâ excellens.* S. Hieronymus longè adhuc nobilius. *Aristoteles* (inquit Tomo 9. in Regula Monachorum cap: 11.) *absque dubitatione fuit prodigium, grandéque*

mira-

miraculum in tota natura, cui pænè videtur infusum, quidquid naturaliter est capax humanum genus. Ab aliis Patribus Viris innumeris Sapientissimis, Encomia data Aristoteli eximia, prætereo: in unum enim collecta justum volumen conficerent. Hoc indubitatum: Nullus unquam è numero Sapientum per retroactos mille supra octingentos annos (natus enim Aristoteles trecentesimo octuagesimo tertio anno ante Christum: vixit autem sexaginta tres, eodémque anno, quò Demosthenes obiit, biennio autem post mortem Alexandri) exstitit, qui asseruerit Aristoteli defuisse ingenium admirandum, Doctrinam excellentem. Et en Lutherus censet Aristotelem fuisse asinum!

Quinam Aristotelis Præceptores?

Illéne fuit asinus otiosus? qui decimo quarto ætatis suæ anno, contulit se ad Socratem ejúsque Discipulum egit triennio; eo defunctô, Platonem jam sexagenarium adiit decimo septimo ætatis suæ anno, & in ejus Schola viginti ferè totos annos Auditor assiduus fuit: eoque toto tempore, adeò intentus erat evolvendis Sapientum libris & scriptis, ut Plato ejus ædes, *Lectoris Domum*, vocaverit. Qui, cùm se ad quietem componeret, æream Sphæram (ùt scribit Laërtius libro 5.) manu tenere consveverat, protensô extra lectum brachiô, eo consilio, ut, cùm diductâ dextrâ dormientis pila excuteretur, in subjectam pelvim cadens, ipsum somno excitaret: cujus imitatione Alexandrum quoque, globum ferreum pugnô constrinxisse, ajunt: ut ejus cadentis fragore à somno ad vigiliam revocaretur. Post, quinquenniô, vel juxta aliòs, sexenniô, Alexandri Magni Præceptorem egit: ubi verò Alexandrum, annum tunc ferè vigesimum agentem, literarum studiis satis instructum esse credidit, Athenas petiit, ibidémque publicè Philosophiam simul

Quanta ejus in discendo Sedulitas?

ſimul & Oratoriam Artem, annis tredecim, ſumma cum laude docuit.

Quot conſcripſerit volumina?

Otioſúsne cenſendus? qui multiplici profundáque ſcientiâ & eruditione refertos plurimos conſcripſit libros; prope Quadringentos fuiſſe teſtatur Laërtius, Plutarchus: alii numerant ad ſeptingentos quadraginta ſeptem: licèt ex tanto numero, qui nunc ſuperſunt, centum viginti ſummam non excedant. Regnante Philippo Macedonum Rege, floruerunt in Græcia plurimùm Studia: multa enim centena Philoſophorum capita numerabantur ſub Platone: non exiguus numerus Oratorum ſub Demoſthene: & tamen ex his omnibus, Rex prudentiſſimus unum Ariſtotelem Filio ſuo Alexandro elegit Præceptorem, in literíſque ad ipſum datis, teſte Gellio lib: 9. c. 3. & aliis, ſibi congratulatus eſt, Diíſque gatias egit, non tam quòd Alexander natus ſit, quàm quòd eo tempore eum naſci contigerit, quo ab Ariſtotele inſtrui poſſet.

Magno in pretio habitus à Rege Philippo.

Ab Alexandro Magno.

Alexander verò ipſe, quantinam fecerit Ariſtotelem, ex his collige. Stagyram (eſt Civitas in Thracia) Patriam Ariſtotelis, quæ ſolo æquata fuerat à Philippo, de integro erexit: Sæpéque auditus dicere, ùt refert Laërtius, & alii: *Non minùs ſe Ariſtotelem, quàm Genitorem amare: ab hoc enim vivendi, ab illo bene vivendi rationem aſſecutum.* Nè quid itèm deeſſet Ariſtoteli ad inveſtigandas rerum naturas, præſertim animalium *Alexandro magno* (ſcribit Plinius lib: 8. cap. 16.) *inflammato cupidine animalium naturas pernoſcendi, delegatáque commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni ſcientia Viro, aliquot millia in totius Aſiæ, Græciæque tractu parere juſſa: omnium, quos venatus, aucupia, piſcatúſque alebant, quibúſque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviariæ, in cura erant, nè quid uſquam Gentium ignoraretur*

tur ab eo; quos percontando, quinquaginta ferme Volumina illa præclara de animalibus condidit. Impenditque Alexander (ùt refert Atheneus lib: 9. Dipnoſoph:) in hujus Operis confectionem, Octingenta talenta: id eſt, teſte Budæo lib: 2. cap. 29. quadringenta & octoginta millia noſtrorum Aureorum: Et Lutherus tanto in pretio habitum à magnis Regibus, & Sapientibus, judicavit fuiſſe aſinum otioſum?

Porrò, hoc judicium Lutheri, fuiſſe verè aſininum, non ſolùm manifeſtè probant ſuperiùs dicta, ſed & ipſi Lutheri Aſſeclæ. Nam Philippus Melanthon, Lutheri anima, & ejus in promovendo quinto Evangelio Miniſter primarius, multis inſigniter laudat Ariſtotelem: nam (præter dicta infra, ſub Propoſitione 7.) habet hæc. Tomo 3. Declamat: in Oratione de Ariſtotele: *Rectè Græci dicunt, Ariſtotelem ſcribentem, ſolitum mente calamum tingere: id eſt, ſapienter cogitatas ſententias, & ſagaciter ex ipſis Naturæ fontibus erutas proferre: ùt ſunt venuſtiſſimæ Diſputationes apud eum de Cauſarum ordine: cùm probat oportere in una Prima, cujus vires ſunt immenſæ, conſiſti.* Et Joannes Forſterus, apud Gretſerum, in ſuppetiis pro Luthero Academico pag: 41. Prædicans Vitebergenſis ait: *Ariſtoteles, Sapientiæ pariter & eloquentiæ laude excellentiſſimus fuit.* Idem & alii plerique Prædicantes ſcripſerunt. Imò ipſe Lutherus in cap. 10. Geneſis dicit: *Ariſtoteles eſt homo acutiſſimus. Ingenio Ariſtotelem Ciceroni antepono.* Et Tom: 4. Lat: Viteb: in cap: 9. Iſaiæ. *Ariſtoteles, præclarè & eruditè ſcripſit de Ethicis.* Quomodo ergo fuit aſinus? Verùm non adeò jam miror à Luthero Ariſtotelem vocari aſinum otioſum: poſtquam legi, Lutherum auſum fuiſſe Tom: 4. Operum Germ: folio 475. ſcribere hæc: *Doctor Martinus Lutherus dicit, Papiſtam* (univerſaliter omnem) *& aſinum,*

A Prædicantibus Lutheranis.

Imò ab ipſomet Luthero laudatus.

Lutherus quàm injurioſus in Catholi-

cos Doctores?

num, rem esse unam. Et libro contra Latomum. *Thomista purus, est asinus verus, sive sit Italus, sive Germanus.* Item in Coll: titulo de Schol: *Scotus, Bonaventura, Thomas Aquinas, fuerunt otiosi.* Itáne otiosi, tot Sapientissimorum Voluminum Auctores, & Orbis Doctores!

II.

ARistoteles, in cute perfectus Epicurus est Tom: 2. Lat: Vit: de simplicitate DEI. Thesi 33.

Epicuri quænam fuerit Doctrina?

EPicurus (ut scribit S. Augustinus in Psal: 73. Tomo 8. & Tomo 1. lib. 3. contra Academicos cap. 7.) delirus Philosophus, amator vanitatis, non Sapientiæ (quem ipsi etiam Philosophi, porcum nominaverunt volutantem in cœno carnali, Zeno vocavit belluam) voluptatem corporis, summum bonum seu beatitudinem humanam esse dixit. Docuit insuper, secutus Leucyppum, nulla dari rerum principia, præter Atomos, id est Corpuscula quædam tam minuta, ut etiam dividi nequeant, neque sentiri aut visu, aut tactu possint: quorum corpusculorum concursu fortuitô, & mundos innumerabiles, & animantia, & ipsas animas fieri dixit, & Deos, quos humanâ formâ, non in aliquo mundo, sed extra mundos, atque inter mundos constituit, & non vult omnino aliquid, præter corpora cogitare: idem Epicurei docuerunt. Lib. de Ira DEI, cap. 10. Acutè & rectè Lactantius de tantorum errorum Magistris scripsit: *Quantò meliùs fuerat* (Leucyppo, Epicuro) *tacere, quàm in usus*

in usus tam miserabiles, tam inanes, habere linguam. -- *implevit* (uterque) *numerum perfectæ insaniæ, ut nihil ulteriùs adjici posset.* *Nónne prodigio simile est, aut natum esse hominem, qui hæc diceret: aut exstitisse, qui crederet: ùt Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucyppi fonte profluxit.* Aristoteles verò è diametro, his errorum portentis, docuit oppositum. Nam ùt testatur ipse Melanthon Disp: de discrimine trium Sententiarum de Doctrina Philosophica Tomo 1. Lat: Viteb: mihi folio 476. *Aristotelica Sententia est, finem hominis* (id est felicitatem veram ejus & beatitudinem) *esse virtutem, aut virtutis actionem: virtutísque appellatione rectè complectitur non solùm honestas Civiles Actiones, sed etiam pietatem & obedientiam erga DEUM.* Et ipse Aristoteles 1. Ethicorum cap. 8. ait: *Optimum, & honestissimum, & svavissimum, beatitudo est: neque ista divellenda sunt à se invicem* -- *omnia enim hæc in optimis Actionibus insunt: has autem seu earum unam, quæ optima sit* (quæ utique in futura vita, est visio DEI, & amor beatificus: in præsenti autem vita, cognitio abstractiva, & amor) *felicitatem esse arbitramur.* Et lib. 10. Ethic: cap: 6. & 7. ex professo probat, felicitatem hominis consistere in nobilissima operatione nobilissimæ potentiæ humanæ: quæ utique sunt Intellectus, & Voluntas: quarum, utra alteri præstet incertum est: proinde consistit vera felicitas hominis vel in Intellectione Entis summè Veri: vel in Volitione & fruitione Entis summè boni: quale Ens est Solus DEUS: vel in utroque actu. Et ibidem cap. 10. dicit: *DEI operatio, cùm beatitudine excellat, contemplativa erit, & ex humanis, ea erit felicissima, quæ huic maximè est cognata.* Quare Averroës, Avicenáque lib: 9. Metaph: cap: 7. & Algazel, Mahometanæ licèt Sectæ Philosophi, fassi sunt, meliùs longè sensisse Aristotelem de summo bono, ultimo fine,

Aristoteles oppositum docuit Epicuro, de fine Hominis.

ne, & beatitudine hominis, quàm Mahometem, qui summam felicitatem hominis Statuit esse voluptates corporis: ideóque Legem Mahometis despexerunt, quamvìs inter Mahometanos viventes, patrios ritus servaverint: ùt refert Javellus secunda parte Philos: Christ: Tract: 5. prope finem.

De productione Mundi.

Docuit itèm Aristoteles, non casu fortuito factum esse mundum, sed ab aliquo Intellectu præstante: Dicit enim lib. 2. Physic: cap. 6. textu 44. & 45. *Sunt etiam qui Mundi hujus, aliorum omnium, causam, in Casum referant: conversionem enim, & motum eum, qui Universum distinxit, & in hunc ordinem redegit, casu esse. Et hoc sanè admiratione maxima dignum est, quòd animalia quidem, & plantas, neque esse, neque fieri à fortuna: sed aut Naturam, aut Mentem, aut aliquid aliud tale causam esse affirment: propterea, quòd è cujusque semine, non quodvis fiat: sed ex tali oliva: ex tali autem homo: Cœlum autem, & ea quæ inter sensibilia, diviniora sunt, casu effici censeant, taliúmque eorum nullam, qualis plantarum & animalium est, causam esse.* Et alibi. Illos qui censuerunt, causam Mundi non esse Intellectum aliquem præstantem, dicit: loquutos fuisse ùt ebrios: Anaxagoram verò, qui censuit causam Mundi esse Intellectum, locutum ùt sobrium. *Quapropter* (inquit 1. Metaph: cap: 4.) *qui ùt in Animalibus, ità in Natura, Intellectum esse causam Mundi, totiúsque Ordinis dixerat, quasi Sobrius, comparatus ad Antiquiores, vana dicentes, apparuit.*

Nónne ad evertendum errorem Epicuri de casuali Productione Mundi, inter alia multa, Aristoteles, ùt verba ejus lib. 2. de Natura Deorum adducit Cicero in Persona Lucii, præclarè hæc scripsit. *Si essent, qui sub terra semper habitavissent, bonis & illustribus Domiciliis, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructáque rebus his omnibus, quibus abundant*

hi, qui

hi, qui beati putantur, nec tamen exiſſent unquam ſupra terram, accepiſſent autem famâ & Auditione, eſſe quoddam Numen, & vim Deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent, aſpexiſſéntque Solem, ejúſque tum magnitudinem, pulchritudinémque, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quòd is diem efficeret, toto Cœlo, luce diffusâ; quum autem terras nox occupâſſet, tum totum Cœlum cernerent Aſtris diſtinctum & ornatum, Lunæque luminum varietatem, tum creſcentis, tum ſeneſcentis: eorúmque omnium Ortus & Occaſus, atque in omni æternitate ratos immutabiléſque curſus. Hæc quum viderent, profectò & eſſe DEOS, & hæc tanta opera, Deorum eſſe arbitrarentur.

Ariſtotelis recta Sententia de Unitate DEI.

Nota. Dum Ariſtoteles hìc, & alibi, plures nominat Deos, vel nomine Deorum, intelligit Deum propriè dictum & Intelligentias, quas etiam à Deo productas alibi aſſerit: vel loquitur populariter, & quaſi coactus, non ex animi ſententia: quod ipſum conſtat. Tum quia ipſe Unitatem DEI toto Octavo libro Phyſicorum inveſtigat, oſtendítque Primum Motorem, ſeu DEUM, eſſe Unum, immobilem, perpetuum, impatibilem, & infinitum: ſuámque Metaphyſicam de rebus divinis concluſit, Unitatem DEI probando ſic: *Entia nolunt malè gubernari. Non eſt bonum pluralitas Principatuum. Unus ergo Princeps.* Tum quia ob Aſſertionem Unius primi Principii, nè damnaretur ab Athenienſibus, ſicut olim damnatus eſt Socrates, ex Athenis ſecedens, Chalcidem ſe contulit, ubi & diu permanſit. ùt refert Origenes lib. I. contra Celſum propè finem. Et Laërtius teſtatur, Ariſtotelem, quòd Deorum pluralitatem damnaret, accuſatum eſſe ab Eurimedonte.

Itèm de Unitate Mundi

Itèm Epicurus docuit, Mundos eſſe innumerabiles: imò

infinitos; è contra Ariſtoteles rectè cenſuit, unum tantùm eſſe mundum, probátque id ex eo: quia unus tantùm eſt Primus Motor, ità etiam unum tantum eſt primum Mobile, & proinde unus Mundus: & ſicut una eſt Cauſa Prima, unus eſt Deus, ità unum etiam Univerſum. Et licèt hæc Probatio, non ſit convictiva, cùm Deus potuerit innumeros creare Mundos, eſt tamen probabilis. Convictiva enim ratio, probans Unitatem Mundi, eſt tum Auctoritas Scripturæ. Joannis enim 1. dicitur: *Mundus per ipſum factus eſt,* ad denotandam Unitatem Mundi: ùt notant cum Divo Thoma, Interpretes Scripturæ. Tum quia nulla eſt ratio, aut experientia, aut Auctoritas magni momenti, unde colligatur exiſtentia alterius Mundi: imò eſt Auctoritas Omnium Claſſicorum Philoſophorum, & SS. Patrum in contrarium. Ergo non debet aſſeri pluritas Mundorum. Ariſtoteles quidem 1. de Cœlo cap: 8. multis probat, Deum non poſſe plures Mundos condere. Sed explicari congruè poteſt, eum loqui de Potentia ſolùm DEI ordinaria, & ſecundùm conſvetum rerum curſum: ſic enim plures Mundi eſſe nequeunt: ùt bene advertunt Conimbricenſes in fine octavi libri Phyſicorum Ariſtotelis.

Cùm ergo tot Sententias, Epicuro & Epicureis oppoſitas docuerit Ariſtoteles, quomodo his Stantibus, Ariſtoteles in Cute perfectus Epicurus fuit? Quodſi dicatur, ex eo Ariſtotelem fuiſſe Epicureum, quia negavit, Animam humanam eſſe immortalem, & à Deo curam haberi rerum humanarum: Dico hæc falsò imponi Ariſtoteli: ùt conſtabit ex enervatione ſequentium duarum Theſium. Ad quas enervandas priuſquam deſcendam, Conſiderationem, prudenti & pio Lectori propono hanc.

Divus

Divus Hieronymus, qui ab Eccleſia, Doctoris Maximi in ſacris literis Nomen eſt conſequutus: cujus tanta fuit Eruditio, ut commune fuerit Orbis oraculum; dicíque conſveverit: Neminem ſcîſſe, quod Hieronymus ignorabat. Hic inquam tantus Doctor, initiô ſui libri primi contra Jovinianum, eum aſſerit eſſe *Epicurum Chriſtianorum.* Itèm Auguſtiſſimus Eccleſiæ Sanctæ Doctor, Hæreticorum Malleus, non Hipponæ ſolùm, verùm & Theologiæ ſcientiarúmque omnium Antiſtes Auguſtinus, approbat Hieronymianam illam aſſertionem: quia non tantùm univerſaliter libros illos Divi Hieronymi contra Jovinianum, in Epiſt. ſua 29. teſtatur eſſe *lucidiſſimos, ſvaviſſimos, præclariſſimos*: Sed etiam, quia in prædicta Epiſtola, eundem Jovinianum, vocat Epicureum. Uterque autem ex hoc fundamento, quod inter alios errores docuerit, Virginitatem non præſtare Matrimonio, paréſque eſſe Nuptias Virginitati: quâ doctrinâ imbutæ multæ Virgines Deo Sacratæ, primam fidem Deo Sanctè promiſſam irritam fecerunt, nubendo. Et quis inficiabitur, Lutherum eſſe magìs *Epicurum Chriſtianorum?* Nunquid enim ille, doctrinam illam Joviniani impiam, diu ſepultam ab inferis non revocavit, comprobavítque verbis & ſcriptis? Nunquid non ſuperaddit illa Epicurea Paradoxa ad Volffgangum in Epiſtola, quæ exſtat Tom: 7. *Sinè matrimonio vivere volens, penitùs cum Deo pugnat. Votum Caſtitatis eſt impium. Sumere cibum potum & uxorem ducere, utrumque Deus ex æquo fieri imperat.* Nunquid non ſcripſit ſerm: de Matr: *Si non vult Domina, veniat Ancilla?* Nunquid non Leonardum Coppum & Volfium Tomitſch, concitavit, ut novem Moniales (inter quas fuit & illa Borrha) ex Nimicenſi Monaſterio raperent & Vitebergam adducerent; quod & factum.

An Lutherus Chriſtianorum Epicurus?

Et Anno 1525. tredecim Moniales afferri sibi curavit? Nunquid non ter Sacrilegus (quia contractas à Sacerdote, Monacho professo, cum Monacha professa, Catharina Borrha) contraxit Nuptias, & ex sacrilego illo con^cu^bitu, habuit filios tres spurios, & tres filias: & quidem contraxit illas Nuptias, ut (sicut scribit ipsemet ad Michaëlem Stifel) suam doctrinan propriô exemplô relinqueret confirmatam. Quis unquam Sanctorum tali mediô sacrilegô confirmavit Doctrinam Christi? Jovinianus, Monachatum quidem deposuit, uxorem tamen nunquam ducere voluit: Lutherus & Monachatu deposito fidéque Catholica abjurata, Monialem in uxorem duxit, suóque exemplo, verbis & scriptis plurimos ad idem patrandum concitavit. His perpensis. Quis prudenter diffiteri poterit? Lutherum esse magis Epicurum Christianorum, quàm fuerit Jovinianus.

III.

QUòd anima humana mortalis sit, est Sententia Aristotelis. Tom. 1. Lat. Viteb: in Disputatione Heidelbergensi. Thesis. 31.

Aristoteles sensit animam humanam esse immortalem.

ERras Luthere! Aristotelem à tam graviter erronea sententia immunem fuisse,

Probatur primò Auctoritate gravissimorum Virorum, in scriptis Aristotelicis versatissimorum, affirmantium, ab Aristotele assertam fuisse immortalitatem Animæ: Sunt autem

tem inter alios, hi: Theophraſtus, primarius per plurimos annos Diſcipulus Ariſtotelis, ab eóque in Lyceo deſignatus Succeſſor. Themiſtius, Simplicius, Ammonius uterque, ſcilicet Alexandræus, & Hermeus: Olympiodorus, Avicenna, Albertus Magnus, & major Magiſtrô ſuô Diſcipulus S. Thomas, Ægydius, Durandus, Ferrarienſis, Eugubinus, communiſſiméque alii Doctores Catholici. Et Urbanus Octavus, nondum ſummus Pontifex juſſit Bononiæ per Oregium & alios plurimos Doctores, inquiri in Ariſtotelem: Sed omnium calculô, de immortalitate Animæ bene ſenſiſſe, declaratus eſt. Themiſtius etiam teſtatur, Ariſtotelem ſuam ſententiam affirmativam de immortalitate Animæ diſertè expreſſiſſe in Dialogo, quem ſcripſit, ad Eudemum familiarem ſuum: ibíque multis rationibus oſtendiſſe Animæ immortalitatem. Cujus Dialogi mentionem facit Cicero lib. 1. Divinat: Et Plutarchus in vita Dionis. Ille tamen liber, cum multis aliis interiit. Scio quidem, quod Plutarchus, Origenes, Theodoretus, Cajetanus, Caramuel, & aliqui alii: quibus etiam aliqui ex Patribus Sanctis, ùt Juſtinus, Gregorius Nyſſenus, & Nazianzenus, favere videntur, cenſeant Ariſtotelem ſenſiſſe Animam humanam eſſe mortalem. Scotus verò, Hervæus, Niphus, opinentur, Ariſtotelem in hac quæſtione fuiſſe dubium: tamen pro Ariſtotele, noſtráque aſſertione ſunt (ùt rectè notat Toletus Cardinalis) Doctores graviores, & in Philoſophia longè peritiores, longéque plures. Inſuper

Id ipſum probatur multipliciter.

Probatur ſecundo Ratione. Quia ex una parte, nullus huc uſque allatus eſt Textus Ariſtotelis, ubi mentio aliqua ſit mortalitatis Animæ. Sed ſolùm per conſequentias quaſdam extortas, & fallaces (ùt dicit Toletus) id à nobis,

oppositis, colligitur. Ex altera autem parte, sunt multa satis, & clara ejus testimonia pro immortalitate. Nam lib: 1. de Anima textu 65. & 66. dicit: *Intellectus, videtur substantia quædam esse, ac non corrumpi; Divinum quid est fortassis, passionéque vacat.* Dicit *fortassis*, quia ùt notat hic S. Thomas, nondum hoc erat determinatum. Et lib. 2. Textu. 22. *Intellectus contémplativáque potentia videtur animæ genus esse diversum* (à sensitivo & vegetativo) *idque solum perinde, atque perpetuum ab eo, quod occidit, sejungi, separaríque potest.* Lib: 3. de Anima. Textu Vigesimo. *Intellectus separatus verò, id est solum quod est atque id solum est immortale perpetuúmque.* Acsi diceret Aristoteles, ut explicant Conimbricenses & alii: Intellectus secundùm suam naturam, & rationem, est separatus, id est, non addictus corpori, aut alicui ejus Organo, proinde immortalis est, extinctóque corpore, superstes manet. Libro etiam 1. Ethic: cap: 11. dicit: Quòd istud, quod accidit in mundo, parùm mortuos tangat. *Quia vitâ defunctos, neque felices eos, qui non sunt facere: neque eos, qui sunt, privare felicitate potest. Conferre igitur quid defunctis, prosperi Amicorum successus videntur: Simili modo etiam infortunia: ità tamen, ac tantum: ut neque felices, reddere infelices: neque quidpiam tale efficere valeant* Sunt ergo ex sensu Aristotelis, Animæ post mortem. Itèm 12. Metaph: Textu 17. dicit: *Mentem & Animam intellectualem non posse esse ante Corpus: tamen manere post, nihil prohibet: veluti si Anima tale sit, non omnis, sed Intellectus: omnem namque fortassis impossibile est.* Cùm dixit fortassis, non dubitavit de Anima intellectiva, sed de omni anima, nam de intellectiva ùt certum protulit. Non absimilia testimonia habentur 2. de Generatione Animalium cap. 3. & 1. de partibus Animalium. cap. 1.

Ex

Ex allatis Textibus, ſatìs clarè habetur, è ſenſu etiam Ariſtotelis, Animam humanam eſſe immortalem.

Sed dicit Lutherus in cap. 10. Geneſis. Ex Opinione Ariſtotelis de generatione hominum ab æterno, & ſic Statuente nullum eſſe primum, inevitabili conſequentia ſequitur, quòd Anima ſit juxta Ariſtotelem, mortalis: aliàs enim eſſent nunc actu infinitæ numero animæ: cùm tamen Ariſtoteles, & ejus Philoſophia non admittat ullo modo infinitum actu. Ad hanc objectionem, & ab aliis etiam propoſitam olim. Reſpondet primò S. Thomas 1. contra Gentes cap. 81. *Principiis ab Ariſtotele poſitis, non repugnat infinitum in ſubſtantiis immaterialibus* (utì defacto ſunt Animæ humanæ) *licèt non detur infinitum Actu in corporibus naturalibus.* Præterea, ùt addit idem Sanctus Opuſculo 22. *Adhuc non eſt demonſtratum, quòd Deus non poſſit facere, ut ſint infinita Actu.* Imò non pauci, & acuti Philoſophi, Oviedo, Ariaga, & alii multùm probabiliter ſentiunt, quòd ſuppoſitâ Sententiâ Ariſtotelis de Continui compoſitione ex partibus in infinitum diviſibilibus, ſequatur omnino dari in quolibet Continuo, infinitum Cathegorematicum in multitudine partium non penetratarum. Reſpondetur ſecundò cum Albertino Tomo 2. de Prædica. Quant. Diſp. 4. q. 3. & Tannero, Diſp 2. de DEO quæſtione 4. dubio ſecundo. Admiſſa generatione humana ab æterno, non ſequi numerum infinitum animarum: Quia etſi Ariſtoteles negavit transmigrationem animarum Pythagoricam, Scilicet de humano corpore in corpus bruti: non tamen apertè negavit transmigrationem Platonicam de Corpore humano in aliud Corpus humanum. Reſpondetur tertiò cum Cardinali Toleto & aliis, Ariſtotelem fortè non prævidiſſe infinitatem Ani-

Objectiones in contra refelluntur.

Animarum ſequi ad ſuam illam Mundi æternitatem. In ordine ad ſolvendas alias abjectiones.

Nota. Dum dicit Ariſtoteles lib: 3. de Anima. Intellectum paſſivum ſeu paſſibilem extingui: Vel nomine Intellectûs paſſivi, intellexit Imaginationem, ùt S. Thomas explicat: dixerat: enim eodem libro Ariſtoteles, Phantaſiam eſſe quaſi quendam Intellectum. vel, Quia, ùt vult Themiſtius, amittit ſtatum paſſivi: ſeparatus enim Intellectus à corpore, non accipit Species ab objecto. Quod genitum eſt ex materia, principiùmque habuit, & eſt compoſitum neceſſe eſt, ut juxta Ariſtotelem corrumpatur, tranſeat. Non autem, quod eſt ſimplex, & non compoſitum, nec genitum ex materia qualis eſt Anima. Jam autem Anima, juxta Ariſtotelem, extrinſecùs advenit, & eſt, quid divinum, & ſeparatum à Corpore. Cùm ait Ariſtoteles 12. Metaph. textu 39. quòd DEO felicitas ineſt perpetuò, nobis autem pauco tempore: Loquitur de felicitate, quæ ineſt vivis; non de ea, quæ poſt mortem poteſt ineſſe Animæ.

IV.

ARiſtoteles, cùm de Primo Motore diſputat, concludit, Mundum fuiſſe ab æterno, & animas, cum corporibus interire. In Concione de tribus Regibus.

QUòd concludat Ariſtoteles, Animas humanas perire cum corporibus, impoſtura eſt; cur non adducitur Textus aliquis Ariſtotelicus illativè demonſtrativus hujus erroris? Potiùs

Potiùs cum fundamento satìs gravi, Error hic, tribui potest Luthero: is enim Tomo 2. in assertione Articuli 27. enumeratis quibusdam Fidei nostræ Articulis, inter quos recensentur & hi: Anima est forma substantialis Corporis humani. Anima est immortalis, subjicit. *Omnia ista esse portenta in Romano Sterquilinio Decretorum comprehensa.* Portentum autem quidni fabulæ proximum est?

Aristoteles quid senserit de æternitate Mundi, non est omnino certum.

Quòd constanter docuerit Aristoteles, Mundum fuisse ab æterno, licèt id communiter asseratur à gravissimis Doctoribus, síntque documenta hujus erroris non levia; non desunt tamen graves Doctores, qui Aristotelem ab eo errore immunem fuisse defendunt; quasi solùm ad hominem fuerit argumentatus: nec nisì per motum physicum, & alios quosdam modos in veritate impossibiles, quos Veteres quidam adstruebant, Mundum incipere non potuisse, demonstrare voluerit: cæterùm absolutè dubium fuisse Aristotelem circa æternitatem Mundi: nec censuisse suas rationes esse evidentes: quod confirmat S. Thomas 1. parte q. 46. Artic. 1. tum aliis duabus conjecturis; tum præcipuè ipsius Aristolis testimoniô, qui expreßè dicit 1. Topic. cap. 9. Quòd quædam sunt Problemata Dialectica, de quibus rationes (intellige evidenter convictivas) non habemus: ùt, *utrùm mundus sit æternus.* Idem censuit de Aristotele Albertus Magnus in 2. Dist. 1. Articulo 10. Udalricus, Argentinas, ac noster Pater Valentia Tomo 1. Disp. 3. q. 3. Et certè hæc defensio, mihi saltèm multùm probabilis videtur. Tum quia fundata est in testimonio ipsius Aristotelis, satìs efficaci, & sensu tot gravium Doctorum. Tum quia difficile mihi persvadere possum, quòd Aristoteles acutissimus Philosophus, rationes adductas à se pro æter-

ternitate Mundi, censuerit esse demonstrativas, cùm parvi sint momenti, faciléque dissolvi possint, & solvuntur claré à S. Thoma 1. p. q. 46. articulo 1. & lib. 2. contra Gentes. c. 31.

Conantur quidem aliqui cum Patribus Conimbricensibus in lib. 5. Physicorum, cap. 2. Quæstione 3. Artic. 1. infringere illud testimonium Aristotelis, asserentes, ideo inter Problemata Dialectica numerari æternitatem Mundi. Quia, inquiunt, sciebat Aristoteles complures Sapientes, contrariæ fuisse opinionis: quod ad rationem Problematis sat erat: & quia in exemplis, non requiritur veritas. Sed hic conatus est inefficax. Quia ut Petrus v. g. aliquid asserat prudenter esse Problema, non sufficit si Petrus sciat, complures contrarium sibi sentire: verùm insuper necessariò requiritur, ut Petrus non habeat, aut saltèm non putet se habere evidentes rationes suæ assertionis: aliàs, si Petrus videret sibi à Paulo auferri vestem, & ad judicium citatus Paulus, id negaret, haberétque multos testes innixos levibus quibusdam fundamentis, posset Petrus rectè dicere: Inter Problemata numero, utrùm mihi vestis sit ablata à Paulo, quod est ridiculum. Et certè sciebat Aristoteles complures sentire, materiam primam non dari: non componi continuum ex divisibilibus in infinitum, & similia multa: & tamen quia evidentia hæc esse, aut saltèm probabilissima putabat, nunquam ea inter Problemata numeràsse legitur. In exemplis illustrantibus Propositionem aliquam, certum est, non semper requiri veritatem; certum tamen & evidens est, omnino semper requiri, nè adducens ad confirmandam veritatem, exemplum aliquod, adducat tale, quod judiciô ipsius adducentis, contradictoriè est oppositum confirmandæ veritati. Quis enim prudenter dicat?

Quæ-

Quædam sunt Propositiones probabiles, ùt: Totum est majus suà parte. Quædam evidentes, ùt: Astra sunt paria? Cùm ergo Problematibus Dialecticis, opponantur Propositiones evidentes, qua ratione Aristoteles, ad probandum, dari Problemata, adduxisset exemplum hoc: *Utrùm Mundus sit æternus.* Si quidem, juxta oppositos, Aristoteli fuit certum & evidens, Mundum fuisse ab æterno?

Censuit Aristoteles Mundum à Deo productū.

Adverte; datô non concessô, Aristotelem semper censuisse Mundum fuisse ab æterno: tamen ipse constanter tenuit, Mundum fuisse efficienter productum à Deo. Abhorruit enim semper Aristoteles à contraria Sententia: ut testantur insigniores ejus Interpretes, Simplicius, Philoponus, Ammonius, Averroës, Avicenna, Albertus Magnus, S. Thomas, & alii. Constátque id, tum ex dictis suprà sub Propositione secunda. Tum quia 8. Physic: Tex: 15. reprehendit Democritum dicentem. Quædam non habere Causam, quia erant æterna. Et 5. Metaph: textu 6. dicit, *dari duplex Ens necessarium: quoddam à se, quoddam ab alio.* Et 12. Metaph: cap. 7. ait: *Esse quoddam Principium movens immobile, quod ex necessitate est Ens: à tali ergo Principio, tum Cœlum, tum natura dependet.* Et 1. de Cœlo cap. 9. dicit: *Intelligentias habere esse & vivere à Prima.* moriturúsque, dicitur DEUM invocasse sic: *Nudus veni in hunc mundum, miser vixi, dubius morior, quo venturus sim nescio: attamen tu Ens Entium, Causa Causarum, miserere mei.* Unde S. Thomas Opusculo 15. cap. 9. *Sunt* (inquit) *quædam necessaria, quæ causam suæ necessitatis habent: ùt etiam Aristoteles dicit in secundo Metaph. & in 4. Physic: Non ergo æstimandum est, quòd Plato & Aristoteles propter hoc, quòd posuerant substantias immateriales, seu etiam cælestia corpora semper fuisse, eis subtraxerint causam essendi: non enim in*

hoc à sententia Catholicæ fidei deviant, quòd hujusmodi posuerint non causata, sed quia posuerunt ea semper fuisse, cujus contrarium, Catholica fides tenet.

V.

PRimus Motor, juxta Aristotelem, in supremo Cœlo residet. In Concione de tribus Regibus.

De immensitate DEI rectè sensisse Aristotelem, probabiliùs est.

REspondetur; saltèm est probabiliùs, sensisse Aristotelem, quòd DEUS sit ubique. Ratio est. Tum quia insigniores Aristotelis Interpretes, tam Platonici, ùt Jamblichus, & alii, quàm Peripatetici, ùt Alexander Aphrodisæus, Simplicius, Themistius, Philoponus, S. Thomas, Toletus in lib. 8. Physic: Arist: cap. 9. Quæstione septima. & alii plurimi id de Aristotele asserunt. Imò Simplicius dicit primo Animæ ad textum 86. *Neminem dubitare posse, quin omnia sint plena* DEO. Tum quia Aristoteles lib. 1. de partibus animalium cap: 5. approbat dictum illud Heracliti, quem dixisse ferunt, ad eos, qui quum alloqui eum vellent quod fortè in Casa furnaria quadam, caloris gratia, sedentem vidissent, accedere temperârunt, ingredi eos fidenter jussit, *quoniam inquit nè huic quidem loco Dii desunt immortales.* Veriùs, Deus immortalis. Tum quia juxta Aristotelem omnia sunt producta efficienter & conservantur à DEO ùt constat ex dictis suprà, & ex dicendis sub Thesi 6. Ergo sicut ex eo, quòd DEUS moveat Cœlum, infertur: ibi DEUM esse; sic ex eo, quòd producat & conservet omnia, sequitur, eum ubique esse. Con-

Confirmatur. Quia DEUM eſſe ubique, ſenſerunt graviſſimi quique Philoſophi Veteres: Et ex altera parte, nullum eſt fundamentum (quod enim?) aſſerendi, quòd hac in parte Ariſtoteles eis repugnaverit, & contrarium ſenſerit. Ergo cenſendus eſt Ariſtoteles, rectè ſenſiſſe de Ubiquitate DEI. Antecedentis prima pars, patet: Triſmegiſtus enim cap: 11. Pimandri dicit: *Omni ſublimitate ſublimior eſto, omnî fundô profundior, ſenſúſque factorum tuorum ſingulos in te colligito, ignis, aquæ, aridi, humidi; adeſto ſimul Mundi partibus omnibus, Cælo, terræque, maríſque, per omnem ætatem extra corpuſculi tui utrem habitato. nihil interire putato per mortem. Cuncta hæc ſimul comprehendito, loca, tempora, moles, qualitates, & quantitates, ſic Deum intelligere poteris.* Pytagoras (ùt refert Juſtinus Martyr in Paræn:) dixit: *Deus unus eſt, non, ùt quidam ſuſpicantur, extra opus à ſe ornatum, ac diſpoſitum, ſed in ſe ipſo totus, in Orbe toto.* Empedocles aït: *Deus eſt Sphæra; cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam.* Non abſimilia dixit Orphæus, ùt teſtatur S. Cyrillus lib. 1. contra Julianum. Idem ſenſit Plato, & ejus ſequaces: imò Plotinus, Platonicorum Interpretum Princeps, & in quo è ſenſu S. Auguſtini lib. 3. Academ: Plato videtur revixiſſe, ſcripſit. lib. 5. Ennead. cap. 1. *Hanc eſſe de ubiquitate DEI communem animi conceptionem: & omnes, naturali inſtinctu, ità ſentire.*

Scripſit quidem Ariſtoteles 8 Phyſic. Textu 84. Primum Movens, ſeu Deum eſſe in Mundi circumferentia. Et, 1. de Coelo, Textu 22. *Græci* (inquit) *quàm barbari Diis* (ſeu veriùs DEO) *ſupremum locum tribuerunt.* Scilicet, ſupremum Coelum. Verùm graves Interpretes Ariſtotelis, ùt Themiſtius, Simplicius, S. Thomas & plurimi alii, cenſent Ariſtotelem ſolùm hoc voluiſſe: quòd in primo Mobili, *Satìs fit Objectioni in contrà.*

 Deus

Deus sit peculiari modo, quoad efficaciam, majoris suæ Virtutis, indicia exhibendo, ob incitatissimum Cæli motum. Utique & nos ex institutione Christi dicimus: Pater noster, qui es in Cælis. Quod tamen non sic accipimus, quasi non sit etiam in terris, & quasi locô clausus sit, qui claudit omnia: Sed quia dominatur in Cælis: Suámque Majestatem Sanctis exhibet: denotatúrque tali orandi modo, hæreditatem nostram veram, esse cælestem, non in terris: insuper ut petamus ea, quæ ad cælum conducunt, reliqua enim revera vana sunt.

VI.

Aristoteles concludit, Deum nihil eorum, quæ alibi geruntur, cernere. In Concione de tribus Regibus.

ET in Colloquiis Mens. titulo de doctis, idem Lutherus ait: *Aristoteles tenet, à Deo non curari humana, nec curare, quid & quomodo agant homines*: Hunc errorem gravem tribuunt Aristoteli aliqui etiam Catholici scriptores, ùt Lactantius, Melchior Canus; alii autem, ùt Theodoretus, Nemesius, S. Ambrosius sentiunt, Aristotelem censuisse, solùm res incorruptibiles, cujusmodi sunt, substantiæ separatæ, Corpora cælestia, cadere in Divinam Providentiam, non verò res sublunares; & ità præter citatos Auctores, sensit de Aristotele Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. inquiens. *Aristoteli venit in mentem, usque ad lunam deducere Providentiam, ex hoc Psalmo: Domine, in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nu-*

ad nubes Pſal. 35. (Scripſerat enim in eodem libro, à Philoſophis Græcis, multa deſumpta ex Scriptura Sacra) dubium hac in parte fuiſſe Ariſtotelem, docuit Suarez, & Molina: Tribuiſſe ſolùm DEO generalem Providentiam in communi, ſed non in particulari, cenſet Vaſquez, Medina.

Probabilius attamen eſt, rectè ſenſiſſe Ariſtotelem de Providentia Divina, ùt docet S. Thomas 3. contra Gentes c. 75. & Quæſtione 5. de Veritate. Artic. 3. Catharinus Archi-Epiſcopus Compſæ, Toletus Cardinalis, Marſilius Ficinus, Franciſcus Picus, Granatenſis, Carpentarius, Salas, Henriquez, Scaynus, Neovillæus, quos citat & ſequitur Theophilus Raynaudus in ſua Theologia Naturali Diſtinct: 8. q. 3. art. 1. Pater etiam Valentia inſignis Theologus 1. p. Diſp. 1. q. 22. Puncto 2. dicit: *Nunquam apparet Ariſtotelem exiſtimaviſſe id quod ei affingitur* (erroneum de Providentia DEI) *præſertim cùm fundamenta rationum, quibus Orthodoxi confirmant contrariam aſſertionem, ferè contineantur in Ariſtotelis ſcriptis.* Idem longè antè ſenſerunt de Ariſtotele Veteres Peripatetici, ut Philoponus Ammonius, Themiſtius, Euſtratius, Pſellus, Magentinus, & alii: teſtatúrque Alexander Aphrodiſienſis, Philoſophus, (fuit is, Voluminum Ariſtotelis, primus omnium Commentator, temporibus Alexandri Severi Cæſaris) ſecundo Nat. cap. 21. Ariſtotelem ſenſiſſe, habere Deum providentiam perfectam rerum omnium.

Providentiam Divinam de rebus creatis non negâſſe Ariſtotelem probatur multipliciter.

Aſſertio noſtra præter Auctoritatem tot digniſſimorum, Probatur. Quia lib. 10. Ethic. cap. 8. ait *Qui ex intellectu operatur, húncque excolit, atque optime afficit: is eſſe DEO chariſſimus videtur: nam ſi aliquam humanarum rerum curam Dii habent, ſicut videtur: conſentaneum eſt, ipſos re illa, quæ optima eſt, atque ipſis optimè cognata eſt, delectari, qui eſt intellectus: eóſque,*

qui

qui ea maximè amant, & honorant remunerari: utpote, qui eorum, quæ ipsis sunt amica, curam habeant, rectéque & honestè agant. hæc autem omnia (verè) *sapienti maximè inesse, obscurum non est: is igitur est Deo charissimus: eundémque esse etiam felicissimum, verisimile est.* Moriturus etiam Aristoteles exclamavit: *Causa causarum, miserere mei.*

Confirmatur primò Assertio. Tum quia lib. 7. ad Eudemum docet Aristoteles, quòd sicut Mens, omnia facit movere membra in corpore, illúdque gubernat: Sic Deus in Mundo, dispονit & regit omnia. Et 12. lib. Metaph. à textu 52. intendit probare, quòd sicut omnis ordo in Exercitu, provenit ab Imperatore, seu Duce: Sic & ordo Universi à Deo. Tum quia in lib. de Mundo ad Alexandrum cap. 6. dicit. *Deus Universorum coagmentationem cohærentem cohibet & coarctat, incolumitatémque Universi conservat. Ut verò summatim jam loquamur: quod in navi, Gubernator est: quod denique lex in Civitate, & Dux in Exercitu, hoc Deus est in mundo.*

Confirmatur secundò. Quia lib. secundo Theologiæ secundùm Ægyptios (quos libros, esse Aristotelis, censet S. Thomas Opusculo 16. Carpentarius, Faventinus, & Rubeus, qui Anno 1514. Damasci Arabicè scriptos invenit, & nomine Aristotelis inscriptos) hæc leguntur: *Deus, est Ens necessarium, perpetuum; à quo actiones omnes manant, & cujus nutu potestas omnis in Actum excitatur.* Et lib. 12. ejusdem Theologiæ cap. 19. *Deus est, à quo sunt perpetuitas, locus, & tempus: cujusque beneficiò permanent: Et sicut centrum circuli, in seipso est, lineæ autem ab eo ductæ ad ambitum, ipséque ambitus cum punctis, in eodem centro existunt: sic quoque Naturæ omnes, tam, quæ ad intellectum, quàm quæ ad sensum pertinent in Agente Primo consistunt, & confirmantur, ab eóque pendent.* Cicero etiam

tiam ſecundo lib: de Natura Deorum utitur Argumento Ariſtotelis ad divinam Providentiam confirmandam.

VII.

NEmo hactenus Ariſtotelis mentem & ſententiam intellexit. Tom. I. Jenenſi Germanico in lib. de Reformatione Chriſtianæ Reip.

TOmo autem I. Epiſt. 47. idem Lutherus ait. *Propè eſt, ut jurem, nullum eſſe Theologum Scholaſticum, qui unum Capitulum Ariſtotelis intelligat.* Et Epiſt. 36. *Oſtendi* (inquit) *ego, nec Thomam, nec omnes Thomiſtas ſimul, vel unum in Ariſtotele intellexiſſe Capitulum.* Si nemo intellexit Ariſtotelis mentem & ſententiam, cur ergo Melanthon in Oratione de Ariſtotele (exſtat Tomo 3. Declamat. Melanth:) ſcripſit? *Etſi quidam, perſpicuitatem in Ariſtotele deſiderant: tamen quia ordine diſputat, & plerumque pronuntiat, quid ſentiat, & ſermone utitur puro ac proprio; ſummæ rerum ab iis, qui non ſunt literarum rudes, certè intelligi poſſunt.* *Melanthon, Theſim hanc convellit.*

Itáne omnes Scholaſtici per tot ſæcula Doctores, & Princeps Theologorum S. Thomas, Thomiſtæque omnes, literarum omninò ità rudes fuerunt, ut nè unum quidem Capitulum Ariſtotelis intellexerint? Nec ullus ex tot Veteribus Philoſophis Græcis & Latinis, Interpretibus librorum Ariſtotelis, intellexit mentem & ſententiam ipſius? Quis credat?

Non diffitèor tamen, Ariſtotelem, ſæpè obſcurum & ambiguum eſſe in ſcriptis ſuis, non tamen ità, ut nullo mo-

D

lo modo Mens ipsius intelligi queat. Obscuritatis & ambiguitatis hujus, rationes multæ & sat graves (ab Auctoribus, ut Dandino, Fonseca, Conimbricensibus) referuntur inter alias, hæ:

Rationes novem afferuntur cur Aristoteles in scriptis sæpe obscurus & ambiguus.

Primò. Quia omnes Veteres Primarii Philosophi, nefas esse censebant, Philosophica Naturæ arcana, in vulgus proferre. Unde alii, longè obscuriùs, vel etiam sub fabularum tegumentis, vel ænigmatum involucris, Philosophiam tradiderunt. Hinc Themistius in Proœmio in libros Physic: Aristotelis, dicit: *Genus Philosophandi Aristotelis differt à cæteris, quatenus obscuritates, & scirpos illorum, transtulit in perspicuam & propriam expositionem, & vim præterea probationibus, & Syllogismis adjecit. A Platone autem, eò videtur dissensisse, quòd demonstrationes, apertiùs illustriúsque inducit, & quòd earum principia, à sensu & ab evidentibus rationibus, sumit.*

Secundò. Quia voluit tali ratione Aristoteles, ingeniosiores & veros Sapientiæ Amatores, ipsa difficultate ad Philosophiæ studium magìs inflammare, tarda autem ingenia, & ignavos veritatis indagatores, à legendis suis libris arcere: quare etiam libris suis communiter Proœmia difficilia præmisit, & obscura: ut ignavi ac desides, magìs à lectione eorum deterrerentur.

Tertiò. Quia primus fuit, partim in inveniendis, partim in disponendis, & ad sua principia reducendis multis quæstionibus.

Quartò. Quia multa, brevi dictione complexus est: ordinariè autem verificatur illud: Cùm brevis esse volo, obscurus fio.

Quintò. Quia sæpe plurimùm subtiles rationes excogitabat

tabat ſuarum ſententiarum, & communes attulit rerum rationes, quæ in omnem materiam accommodari poſſint.

Sextò. Quia cùm ipſe fuerit perſpicaciſſimi ingenii & mentis, putabat non eſſe obſcura.

Septimò. Quia libri non exſtant illorum Philoſophorum, qui confutantur ab illo.

Octavò. Quia, cùm quandoque compertum non haberet, pro quanam parte Veritas Staret, quidve iis, quæ ipſi occurrebant, reſpondendum videretur: Sententiam ſuam verborum obſcuritate involvebat, ſicque reprehenſionem ſui declinans, dedit occaſionem aliis, res ejuſmodi meliùs diſcutiendi.

Nonò. Quia Ariſtoteles, Diſcipulo Theophraſto cum Lyceo legavit libros ſuos: ille verò eos Neleo Sceptio Coriſci Filio, cum iis ſimul, quos ipſe conſcripſerat, teſtamentô reliquit: qui Neleus, Diſcipulus etiam Ariſtotelis fuerat: Neleus totam Bibliothecam, Scepſin, id eſt, in Patriam ſuam comportatam, Poſteris reliquit, hominibus imperitis, & quos nulla Philoſophiæ, aut dignitatis cura tangebat: qui, Ariſtotelicos libros negligenter primùm ſervârunt: dein metuentes nè ſibi ab Attalicis Regibus, qui ad inſtruendam Pergami Bibliothecam ſollicitè varia Volumina undique conquirebant, eriperentur, terræ infoſſos occuluerant: jacueruntque ſubter terram plùs quàm centum quinquaginta annis, carie & putredine, multis locis labefactati & corroſi: tandem è terra effoſſi ſunt, & magnô pretiô empti ab Appellicone Teio, qui ùt erat pecuniæ, quàm Sapientiæ Studioſior, corroſionibus inconſultè & pro arbitrio ſuppletis, non paucis erroribus reſperſit: ùt teſtatur Strabo (qui vixit ſub Tiberio Cæſare) lib: 13. ſuæ Geo-

graphiæ, & Plutarchus in Sylla. Auxerunt etiam Ariſtotelis obſcuritatem, Latinæ & multifariæ verſiones ex Græco textu: (ùt notat Strabo) Librarii quidam Scriptoribus utentes non bonis, nec ſcripta conferentes.

Porrò Nota, quòd libri Ariſtotelis alii ſint, qui planô Stylô conſcripti ſunt, ut poſſint ſinè opera Magiſtri diſci; atque hi vocantur ab Ariſtotele tum *Exoterici*, quaſi extraneis ſcripti: tum *Populares*, & communes, quòd populari ſenſui ſint accommodati: cujuſmodi ſunt ii, quos ſcripſit de Rhetorica, Poëſi & Animalium Hiſtoria: quibus adde etiam illos, quos vocat *Vulgares de Philoſophia quæſtiones, & quæ coram circumfuſa multitudine diſputabantur.* Alii autem ſunt libri Ariſtotelis, qui altius quid continent, & longè à Vulgi intelligentia captúque remotum, utpote quibus gravior, ſubtiliórque Philoſophiæ pars continetur: & hos, Ariſtoteles vocat *Acroamaticos*, id eſt Auſcultatorios, quòd Præceptoris operam, attentóſque & ingenioſos Auditores, requirant: Cujuſmodi ſunt libri, Analytici, Phyſicorum, de Cælo, & Mundo, & libri Metaphyſicæ.

VIII.

ARiſtoteles, eſt publicus veritatis, & ex Profeſſo hoſtis. Tom. I. Lat. Viteberg: in Explicatione octavi Præcepti, & alibi.

Melanthon arguit hîc falſitatis Lutherum

SI tantus hoſtis? Cur ergo Luthere tuus Melanthon (quem omnibus Sanctis Patribus & Interpretibus ſcriptura-

ptura—rum, prætuliſti in tua Præfat: in Annotat. Melanth. ſuper Epiſt: ad Roman: quin & proximum S. Paulo feciſti) Cur inquam ſcripſit. In Præfat. in Epitome Moral. Philoſ: *Ariſtoteles eruit veras ſententias, eaſque ordine, & propriè explicat: proinde & propter veras ſententias, & propter methodi exemplum, Peripatetica ſunt utiliora.* Et in Oratione de Ariſtotele. *Ariſtoteles Artificiosè deducit nos, ad aſpiciendam Naturam, certo Ordine: prima ſumens exordia ex geometricis demonſtrationibus.*

Ediſſere, Quarumnam veritatum hoſtis eſt Ariſtoteles? Eum enim ab errore de mortalitate Animæ, de negatione Providentiæ divinæ, alienum eſſe: imò & de æternitate Mundi dubium, ſuprà oſtenſum eſt. Cur Ariſtotelem, Veritatis hoſtem publicum fuiſſe dicis? in eúmque convitia probroſiſſima quæque jacis? Cur ſimiliter non inveheris in Zenonem Citticum, Stoicorum Principem, alióſque Stoicos Philoſophos? Utique illorum pleraque Dogmata fuêre palàm Veritati, rectæ Rationi graviter diſſona? docebant enim: Omnia neceſſariò evenire: Nullam eſſe libertatem: Omnia peccata eſſe paria: Deum eſſe Auctorem peccati. &c. Nihil autem ſimile unquam docuit Ariſtoteles. Imò apertè pluribus in locis, tuetur libertatem humanam: dicit enim lib. 3. Ethic: c. 5. *In noſtra poteſtate erit, ut & frugi ſimus, & nequam.* Idque ipſum toto illo capite probat. Et lib. 1. Magnorum Moralium ſeu Ethic: cap. 10. ait. *Non dubium, quin in nobis ſit, & probos, & malos eſſe.* Et demonſtrat hanc veritatem toto illo capite.

Lutherus non invehitur in Philoſophos Stoicos quia horum graves errores, amplexus.

Verùm in confeſſo eſt, cur contra Stoicos non fuerit invectus Lutherus: illorum enim Dogmata amplexus eſt. Utique ſcripſit in Aſſertione Articuli 36. *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus: ſeu titulus ſinè re -- Omnia (ùt Vicleffi Articulus,*

ticulus, Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eveniunt: Quod & Poëta voluit; quando dixit: Certa stant omnia Lege. Et Melanthon: *Necessariò* (inquit in cap. 8. Epist. ad Rom.) *omnia eveniunt in omnibus creaturis. Ridiculum commentum est liberum arbitrium. Omnem libertatem voluntatis nostræ tollit Prædestinatio divina.* Utique Lutherus ait: Nullum esse peccatum veniale, ex natura sua; sed omnia esse mortalia. imò. *Omne* (inquit In Assertione Articuli 32.) *opus Justi, optimè factum est peccatum mortale.* Itèm lib. de servo Arbitrio ait: *Nulli in manu sua est quidquam cogitare mali, aut boni, sed DEUS in nobis omnia bona & mala operatur.* Et Melanthon In Annot: super Epist: ad Rom: scripsit. *Constat, Deum omnia facere, non permissivè, sed potenter: id est, ut sit ejus proprium opus Judæ proditio, sicut Pauli vocatio. Et eò tantùm fertur voluntas nostra, quorsum à Deo impellitur.*

Aristoteles non diffitetur, libertatem Deo inesse.

Fortè dicet quispiam. Aristoteles quidem tribuit homini libertatem, sed eam Causæ Primæ denegat: asserendo, Deum omnia agere ex necessitate naturæ. Respondetur. Falsò id tribui Aristoteli. Tum quia Interpretes ejus omnes antiqui, contrarium sentiunt de Aristotele: ùt videre est apud Toletum Cardinalem in lib. 8. Physic. Arist. cap. 2. q. 3 Tum quia quarto Topic. cap. 5. dicit. Quòd multa possunt facere & Deus, & homines, quæ non faciunt. Tum quia Aristoteles, 1. de Anima. Text. 8. & 3 Metaph. Textu 15. docet, Deo omnem veram perfectionem esse tribuendam. Libertatem autem veram, quis neget esse verè perfectionem? Tum quia Aristoteles agnovit, in Deo dari Providentiam: ùt ostensum suprà: hæc autem non potest esse sinè libertate, nec haberi de rebus liberis à Causâ omnino necessaria.

IX.

IX.

ARistoteles est Vastator Ecclesiæ, piæque Doctrinæ. Tomo 1. Epist. 33.

TOtum hoc propriè convenit Luthero ipsi. Nónne enim per ipsum ejúsque Asseclas, tot Ecclesiæ Orthodoxæ, & Monasteria sunt devastata? Nonnè operâ rebellium Rusticorum, quos voce & scriptis ad rebellionem concitaverat Lutherus, in sola Franconia, supra Trecenta Monasteria, & Arces, incensa sunt, ac prorsus devastata? Nónne Fides Sancta Catholica, ab annis supra Mille in variis Europæ Provinciis, multitudine Miraculorum, Martyrum Sanguine, consensu populorum, fundata, ab eo ferè eliminata est: veráque & pia doctrina de observantia Præceptorum Divinorum, Castitatísque Deo Sacratæ, & aliorum veterum, de Cultu Sanctorum, de necessitate Sacramentorum, & bonorum operum, nónne inquam, eliminata est? Nónne *Ex tua* (ùt Laudatissimus Dux Saxoniæ, Georgius, in suis literis ad Lutherum datis, anno 1526. quæ exstant Tomo 3. Jenensi, verissimè scripsit) *& tuorum Discipulorum Doctrina, renovantur omnes antiquæ & jam olim damnatæ hæreses: omnis cultus Religiosus destruitur, ità, ut à temporibus Sergii (Socii Mahometis in cudenda & propaganda Mahometica perfidia) major destructio non fuerit. Quando plura commissa sunt sacrilegia, quàm ab Evangelii tui ortu? Quando plures seditiones, contra legitimum Magistratum exortæ sunt, quàm ex tuo Evangelio? quando magis pauperes oppressi, & Sacræ Ædes Spoliatæ, expilatæ? Quando plura furta & rapinæ commissa? quando plures Monachi Apostatæ, & Apostatrices Moniales Vitebergæ fuère, quàm modo? quando Maritis ablatæ sunt Uxores,*

Lutherus Vastator Ecclesiæ, & piæ Doctrinæ.

Pietati & Veritati Dissona Lutheri Dogmata aliqua recensentur.

res, aliísque desponsatæ, quàm nunc post natum tuum evangelium? quando plura adulteria patrata, quam post tua scripta evulgata? Piáne Doctrina Lutheri, Dogmata impia hæc? In libro de libertate Christiana Lutherus ait. *Christiano, neque opera neque Lex necessaria est: quia per fidem liber est ab omni lege.* In Postilla Domestica Concione 1. habita Feria secunda Pentecostes. *Non credere in filium Unigenitum, & unicum & solum est peccatum in mundo.* In libro de instituendis Ministris. *Quilibet Christianus, est Interpres Scripturæ Sacræ, & Judex ex Officio totius fidei.* In Sermone de Matrimonio. *Conjunctio Viri cum fœmina, tam est necessarium opus, quàm ut Masculus sim, magísque necessarium, quàm edere, bibere.* In Assertione Articuli 34. *Præliari adversùs Turcas, est repugnare Deo.* Et in alio libro de bello contra Turcas addit: *Concilia Omnia, & Conventus Principum Germaniæ, Deo permittente & Principes irridente, ad id usque tempus à Diabolo gubernati fuerunt & impediti: ídque non aliam ob Causam, quàm ut meus Articulus de non bellando contra Turcas, à Leone X. damnatus, indemnatus, efficáxque permaneat.* Piáne Doctrina? Observationem Præceptorum Divinorum esse impossibilem? Justum in omni opere peccare, & quidem mortaliter, &c.

Aristotelem non esse Vastatorem Ecclesiæ deducitur.

Aristotelem non esse Vastatorem Ecclesiæ, patet ex his etiam, quæ sapienter annotavit Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini lib. 7. cap. 14. Contigit (inquit ille) ut sub duodecimum circiter Salutis nostræ sæculum, Arabum secta magnam sibi laudem doctrinæ adepta fuerit, qui Beticæ præcipuè imperitantes, Cordubam in Athenas pœnè converterant: atque per Averois (Avicennæ, Algazelis &c.) solertiam, Aristotelis Philosophia, Caput erexerat: eam verò & ordinatè & subtiliter explicantes, Peripateticis rationibus refellebant, irridebántque fidei nostræ mysteria,

quasi falsitatis convicta, eorúmque Asseclas, quasi credulos ex inscientia. His in Ecclesiam aggressionibus, opposuit Divina Providentia S. Thomam, qui optimè gnarus, in quacunque Regione dominari eam Religionem, quæ à Viris supra cæteros sapientiâ conspicuis traditur, nullámque inter humanas doctrinas nactus, seu majori habitam in honore, seu dignam, ut haberetur, quàm Aristotelica: in eam impensissimô Studiô operam dedit, atque illius Philosophi libros, longè luculentiùs explicavit, quàm quicunque Arabum, aut Græcorum: & ex iisdem Aristotelis principiis, solutionem deduxit Argumentorum, quæ non ab aliis modò, sed, ab ipso Aristotele excusa fuerant, rectæ fidei dogmatis reluctantia. Abeuntibus postea in ejus vestigia plurimis Scholasticorum, effectum; ut sicut priùs Peripateticorum doctrina, Christianæ infesta credebatur, adeò cum ea foedus coierit, ut recentes Hæreticorum Antesignani, desciscere à Vaticano nequiverint, quin simul desciverint à Lyceo, fidémque suarum Commentationum elevaverint, ex contemptu maximi Philosophorum, & fortasse inter ingenia, quæ Natura protulerit præstantissimi. Hucusque Cardinalis Pallavicinus.

Lutherus quantus Conviciator Aristotelis & Angelici Doctoris?

Et hinc credo, implacabile Lutheri in Aristotelem, & S. Thomam odium est exortum, quo æstuans, ferè innumera in Aristotelem jecit convicia, quorum aliqua etiam hìc innuo. Nisì (inquit Lutherus Tomo 1. Epistola nona) *caro fuisset Aristoteles, verè Diabolum illum fuisse, non puderet asserere.* Et Epist. 33. *Aristoteles est Protheus, Histrio, bestia, Caligo hominum teterrima, Momus Momorum*: Itèm in Explicatione octavi Præcepti. *Gentilis animarum Carnifex, hircus, vel potiùs hircocervus.* In S. verò Thomam (qui judiciô omnium rectè sentientium,

tientium, est Theologorum Princeps, Theologiæ Angelus, Doctor vitâ, eruditione, Sapientiâ, modestiâ, scriptionis claritate Angelicus) impurus ille excucullatus Apostata evomuit hæc : *Stella* (ait in lib: contra Catharinum) *Apocalyptica de cælo in terram lapsa, vel Alexander de Hales, vel quòd magìs credo, Thomas fuit : qui post Universitates approbatas, & tubam hujus Angeli, vel primus vel maximus fuit Auctor invehendæ in Orbem Christianum Philosophiæ: Solus Aristotelicissimus, ac planè Aristoteles ipse : Thomas revera hæretica docet, & planè Christi doctrinam vastat.* Et in libro contra Latomum : *Thomas multa hæretica scripsit, & Auctor est Aristotelis, Vastatoris piæ doctrinæ.* Et in cap. 3. Epist. 1. S. Petri. *Thomas Dominicanus cucullatus impudentissimus.* In lib. contra Cathar. *Aristoteles damnatus, Auctoritate & studio Thomæ elevatus regnat, resuscitans liberum Arbitrium, docens virtutes Morales, & Philosophiam naturalem, ùt triceps Cerberus imò tricorpor Gerion.* Et in Concione de Exaltatione S. Crucis ait: *Thomæ de Aquino ad aurem appingitur columba, arbitror fuisse juvenem Diabolum.* Ità plenus Diabolô Lutherus, de Viro Angelico & Sanctissimo.

X.

ARistoteles Calumniosissimus Calumniator, aliis imponit, & affingit tam absurda, ut asinus & lapis non possint tacere ad illa. Tomo 1. Epistolarum latinarum. Epist. 8. ad Langum.

Qui

QUibusnam? & quænam tam enormiter absurda imponit Aristoteles? Cur nihil simile per tot retroacta sæcula à doctissimis Scriptoribus objectum Aristoteli? Asinisne illi rudiores fuère? Scripsit quidem Aristoteles & acriter invehitur in Heraclitum & Cratillum, quòd negaverint scientiam de rebus, asseruerintque omnia sensibilia continuò fluere, nec quidquam in eodem statu consistere. Quòd Thales Milesius, Jonicæ Familiæ Parens, primus è septem Græciæ sapientibus, dixerit: Aquam esse rerum omnium principium: Hippon idem senserit, dicens, etiam animam ipsam humanam, esse aquam. Anaximenes Milesius, qui fuit tertius à Thalete, & Diogenes Appolloniates ejus Auditor, posuerint aërem omnium rerum principium: Hippasus verò Metapontinus, & Heraclitus Ephesius, ignem. Empedocles autem quatuor Elementa censuerit esse prima principia omnium, quæ generantur & corrumpuntur. Scripsit quidem Aristoteles, quòd Xenophanes Colophonius, & Parmenides Eleathes ejus Discipulus, itèm Melissus Samius, omnia, unum Ens esse asseveraverint: Et quidem Xenophon & Melissus, illud unum Ens censuerit esse infinitum, Parmenides finitum. Quòd Zeno negaverit, corpora moveri. Quidam etiam ex Philosophis, principium hoc: Impossibile est idem simul esse & non esse, falsum esse crediderint. &c. Sed hæc omnia, & quæcunque Aristoteles attribuit priscis Philosophis Opinionum portenta, & absurdas Sententias, non calumniosè illis esse ab Aristotele imposita, testantur plures alii gravissimi Scriptores. Porrò, Lutherum fuisse revera Calumniosissimum Calumniatorem demonstravi in libro, cui titulus: Admiranda Lutheri: ubi in Tractatu secundo, ferè integro, recensui admiranda ejus

Quàm erronea Dogmata quorundam Veterum Philosophorum.

& execranda mendacia atque convicia lata in Sanctissimos Patres, Sacráque Generalia Concilia, quin & in Libros Scripturæ Sacræ. Proposui itèm ibidem, Admirandam ejus maledicentiam. Insuper Calumniatorem fuisse Lutherum, sufficienter constat etiam ex præsenti Tractatu, præsertim ex dictis sub Propositione prima, secunda, septima, octava, nona, duodecima, decima tertia.

XI.

ARistoteles, malè reprehendit ac ridet Platonicarum Idearum, meliorem sua Philosophiam. In Disput: Heidelbergensi Tom. 2. Lat. Thesi 36.

Platonis Doctrina de Ideis exponitur.

PRæmitto, Platonem docuisse (ùt testis est ejus Discipulus Aristoteles 1. Metaph: cap. 6. & lib. 7. ac alibi) Universalia pleraque, seu Naturas plerasque Universales, nihil aliud esse, nisì Essentias quasdam rerum, species rerum, sive ideas, immutabiles, æternas, incorruptibiles, à se invidistinctas, & extra singularia, sub concavo, seu Cælo Lunæ existentes, quæ sint Exemplaria singularium, & eorum Essentiæ: ex quarum participatione, singularia habent suum esse: & itá Universalia, seu ideas, Plato censuit esse Entia per Essentiam, singularia verò quælibet, esse Entia tantùm per participationem illarum idearum universalium. Verbi gratia, Dicebat Plato, extra omnes homines singulares, dari sub concavo Lunæ, aliquem hominem per Essentiam,

tiam,

tiam, rationalem, Univerſalem, immutabilem, incorruptibilem, æternum, ex quo homine, quia aliquod individuum, Verbi gratia, Petrus, participat ſuum eſſe, illíque aſſimilatur, ideo hoc individuum (dicebat ille) dicitur, hic homo: ille autem ſub concavo Lunæ, ſimpliciter eſt homo, ſinè addito. Idem aſſerebat de aliis pleriſque ſpeciebus. Dixi ſuprà. *Univerſalia pleraque.* Quia nec Relationes, nec ea, quæ ſunt præter Naturam, nec itèm mala, dicebat Plato, habere Ideas: nec eorum, quæ ſpectant ad diverſas ſpecies, tradebat ille communem Ideam: ùt refert Ariſtoteles, multíſque in locis notavit itèm Alexander Commentator Ariſtotelis.

Præmitto ſecundò, ſat multos Scriptores affirmare, nomine Idearum, Platonem non intellexiſſe Ideas creatas ſeparatas à ſingularibus ſuperiùs explicatas: ſed intellexiſſe, ipſam Eſſentiam Divinam, in qua rerum omnium Exemplar, atque ſpecies continetur. E contra à multis aſſeritur contrarium, ſcilicet, nomine Idearum, Platonem intellexiſſe id, quod in præmiſſo primo annotatum eſt: nec verba Platonis de Idea diſſerentis, fuiſſe ità ſaltèm perſpicua, quin poſſent in illo ſenſu accipi, quem illi tribuit Ariſtoteles. Et Ratio eſt. Tum quia (utor verbis Philonis in libro, quòd Mundus ſit corruptibilis) *hoc de Platone teſtatur Ariſtoteles, quem puderet mentiri, ùt Philoſophum: & quia fide dignum creditur teſtimonium Amici de Amico, præſertim ejus, qui non faſtidivit doctrinam, ſed ſuperare conatus Veteres neceſſariis Commentis, quædam notavit, per ſingulas partes Philoſophiæ.* Ipséque Philo, Platonis ſtudioſiſſimus, & Hebræorum Plato dictus, & ſimia Platonis, idem de Platone ſenſit in libro: Quòd deterius potiori inſidietur. Tum quia idem de Platone ſen-

 ſerunt

ſerunt & graviſſimi Patres, ùt Tertullianus, Irenæus lib: 2, cap. 19. S. Juſtinus Martyr, in Paræneſi. Unde Tertullianus lib: de Anima cap. 18. (qui, ùt ſcripſit S. Vincentius Lerinenſis in libello adversùs profanas Hæreſum Novitates: *Cunctas Philoſophorum ſectas, mirâ mentis capacitate complexus, eſt.*) ait: *Vult Plato eſſe quaſdam ſubſtantias inviſibiles, incorporales, ſupereminentiales, divinas, & æternas, quas appellat, Ideas: id eſt, formas Exemplares, & Cauſas naturalium iſtorum manifeſtorum, & ſubjacentium Corporalibus ſenſibus: & illas quidem eſſe Veritates: hæc autem Imagines earum.* Additque. *In Ideis Platonis, Valentinianorum, & Gnoſticorum, hæretica ſemina relucere.* Ex his Præmiſſis patet, falſam eſſe allatam Propoſitionem Lutheri: Siquidem falſa eſt Sententia Platonis de Ideis: quod ipſum, præter alia Probatur. Tum quia nulla eſt neceſſitas, nec ullum fundamentum, illas Ideas admittendi. Tum quia aliàs verificarentur contradictoria hæc: *Ideæ Platonicæ ſunt idem cum ſingularibus*: quia ſunt Eſſentiæ ſingularium, & in recto affirmabiles de ſingularibus. &. *Non ſunt idem cum ſingularibus.* Eo enim ipſo eſſent ſingulares: implicat enim, idem eſſe cum ſingulari, & non eſſe ſingulare: neque poſſent exiſtere extra ſingularia: nihil enim poteſt exiſtere extra ſeipſum. Accedit, Quòd admiſsâ ſententiâ Platonis, eadem eſſet numero Natura Chriſti & Judæ, adeóque ſimul eſſet eadem Natura, Deo grata, & ſimul offenſa: fruens Divinâ Eſſentiâ, & ſimul pœnas inferni ſuſtinens &c.

Ideæ Platonicæ rejiciuntur.

Nota, Ariſtoteli fuit quidem charus Plato, ſed quia, ùt par erat, charior eſſe debebat Veritas, ideo amore Veritatis, non invidiæ vel oſtentationis & arrogantiæ causâ, (ùt ipſemet Ariſtoteles declaravit 1. de Moribus libro) diſſenſit in quibuſdam à Platone: quod ægrè ferens Plato,

dixisse fertur, ùt refert Helladius, apud Photium Cod: 279. *Aristoteles in nos recalcitrat, non secùs, atque in Matrem pulli, quos peperit.* Cæterùm, Aristoteles in testimonium suæ benevolentiæ, & gratitudinis erga Præceptorem, ei in templo Aram dedicavit, cum inscriptione hac.

Aristoteles gratus fuit suo Platoni.

Gratus Aristoteles struit hocce Altare Platoni
Quem turbæ injustæ vel celebrare nefas.

Statuámque ei Sacravit adjectis versibus his.

Qui solus, vitâ, doctrinâ, moribus, ore
Admonuit cunctos, & monimenta dedit,
Ut virtute queant, felicem ducere vitam.
Nulla ferent talem, sæcla futura virum.

XII.

EX libris Aristotelis, nihil vel naturalium, vel spiritualium rerum, disci vel doceri potest. Tomo 1. Jen. Germ. in libro de Reform. Rep. Christiana.

Ipsemet Lutherus & Melanthon convellunt hanc Thesim.

SI ità est, cur ergo ipsemet Luthere scripsisti Tomo quarto in cap. 9. Isaiæ. *Ciceronis officia, egregia habent Ethices & morum præcepta, Cicero præclarè scripsit ac docuit de Virtutibus, prudentia, temperantia, ac reliquis. Itèm & Aristoteles præclarè & eruditè de Ethicis: utilissimi libri utriusque, & ad vitam, hanc exigendam, summè necessarii.* Etiam tuus Melanthon ait, In Præ-

fatione

ſatione in ſuam Dialecticam: *Ariſtotelem, maximè velim, omnibus Studioſis in manibus eſſe.* Itèm in Oratione de Ariſtotele. *Ariſtoteles, artificiosè deducit nos ad aſpicendam Naturam certo ordine.*

Et in Præfatione in Epitome Moralis Philoſophiæ *Cùm* (inquit) *in deligendo doctrinæ genere, recta, vera, ſimplicia, firma, explicata, utilia vitæ eligenda ſint: cenſeo tenera ingenia, præcipuè imbuenda eſſe Ariſtotelicâ Doctrinâ, quæ his dotibus vincit reliquas ſectas.* Nónne Ariſtoteles primus omnium invenit, & tradidit in libris ſuis, multifarios modos rectè argumentandi? Nónne rectè ſtatuit, Principia naturalis compoſiti, eſſe Materiam & Formam? Animam humanam, eſſe veram formam humani Corporis, eſſéque totam in qualibet parte ejuſdem, nec priùs extitiſſe Corpore? Nónne meliùs cæteris antiquis Philoſophis ſenſit de Beatitudine hominis, de libertate ejuſdem, de ſubſtantiis immaterialibus, ſeu Angelis, ſeu Intelligentiis, Cælorum Motricibus, de DEI, & quidem Unius Exiſtentia ac Providentia? Quàm præclara ejus ferè 50. de Animalibus Volumina, ex quibus Plinius, plurima in ſuos libros tranſtulit, ùt ipſe fatetur lib. 8. c. 16. Tradidit inſuper Ariſtoteles, Poëticæ graviſſimam explicationem: Oratoriæ Artis Naturam, partes omnes, præcepta, & uſum omnem Et en Lutherus aſſerit; Ex libris Ariſtotelis, nihil diſci vel doceri poſſe.

XIII.

FIgulus, plus Scientiæ habet de rebus naturalibus, quàm in Ariſtotelicis libris

bris continetur. Ibidem de Reformat.

FAlſitas hujus Propoſitionis patet ſufficienter ex dictis. Accedit. Ediſſere Luthere, quinam Figulus ille adeò doctus? Cur tuos Aſſeclas non incitas ad diſcendam Artem figuli? Cur initiò tui Evangelii quinti, non figuli facti Melanthon, & Carolſtadius, ſed potiùs prior factus eſt Piſtor: poſterior Carbonarius?

Melanthon Piſtor, non Figulus factus.

XIV.

DIſputatio Ariſtotelis adversùs unum illud Parmenidis, verberat aëra pugnis. Tomo 2. Lat. Viteb. in Diſputatione Heidelbergenſi, habita Anno 1518. Theſi 38.

PArmenides Eleathes, Xenophontis Diſcipulus, dicebat: Omnia eſſe unum ens finitum: Meliſſus itèm Samius, aſſerebat: Omnia eſſe unum ens infinitum. Rationes, quibus ad id ſentiendum inducti erant, innuit Ariſtoteles, & ejus Interpretes, apud Conimbricenſes. Parmenidis ſcilicet Ratio fuit hæc: Quidquid eſt præter ens, eſt non ens: ſed non ens nihil eſt. Ergo quidquid eſt præter ens, nihil eſt. Subſumitur: ſed id quod eſt, unum eſt. Ergo quidquid eſt præter unum, nihil, ac proinde Omnia unum ſunt. Meliſſus autem innitebatur Rationi huic: Quidquid genitum eſt, habet principium. Ergo quidquid genitum non eſt, non habet principium. Subſumitur: ſed id quod eſt

Parmenidis & Meliſſi proponitur Doctrina cum ſuis fundamentis, quæ evertuntur.

est genitum, non est. Ergo principium non habet: quod autem non habet principium, neque habet finem. Ergo id, quod est, finem non habet, atque adeo infinitum est: Sed id quod est infinitum, necessariò est unum: quia multa infinita simul esse nequeunt: aliàs, terminis definirentur: est igitur unum: proinde & immobile. Etenim, cùm sibi semper simile sit, omnémque occupet locum, aliò ferri nequaquam poterit. Jam verò id, quod est, non esse genitum, ex eo probatur: quia vel ex ente, vel è nihilo esset genitum: nihil autem horum dici potest: quia ex nihilo fieri aliquid non potest: ex ente autem, si quid fiat, priusquam gignatur, necesse sit esse, quod implicat.

Verùm hæ Rationes, nullius sunt momenti, faciléque convelluntur. Respondetur enim ex Aristotele, ad primam. Falsum esse subsumptum: nempe: Id quod est, unum est. Nam substantia & accidens non sunt unum quid: imò nec substantia hominis est quid unum identicè realiter cum substantia bovis, etsi sint quid unum genericè per rationem, sub conceptu, verbi gratia, Animalis. Itèm sequeretur ex illa Ratione Parmenidis. Quòd omnia alba, essent quid unum. Si enim ponamus omnia esse alba, & album significare unum; id est univocam obtinere rationem, ut revera obtinet, licebit argumentari sic: Quidquid est præter album, est non album: Sed non album, nihil est, ùt ex hypothesi constat. Ergo quidquid est præter album, nihil est. Sed album est unum, cùm sit univocum. Ergo alba, unum tantùm quid erunt, non plura.

Ad Argumentum Melissi respondet Aristoteles, contineri in illo multa falsa: primò enim, falsa est prima consequentia: quia ex Opposito Antecedentis infertur Oppositum

situm consequentis: qui modus concludendi, nisi constet terminis reciprocantibus, omnino vitiosus est. Non enim valet. Quidquid homo est, animal est. Ergo quidquid homo non est, animal non est. Secundò ex eo, quòd habeat aliquid infinitam molem, non rectè sequitur. Ergo est expers motûs. Cur enim eodem loco cieri non posset, vel saltèm alterationem, ratione suarum partium, subire? Falsum itèm est, quòd id, quod est, sit unum: cùm sit evidens, hominem ab equo specie distingui. Falsum etiam, id quod est, non esse genitum: potest enim aliquid fieri ex nihilo sui, licèt non ex nihilo subjecti naturaliter.

Ex his sufficienter patet, non leviter errâsse Lutherum, dum dixit: Disputationem Aristotelis adversùs unum illud Parmenidis, verberare aëra pugnis.

Parmenides quid intellexerit nomine unius Entis.

Censent quidem nonnulli Philosophi, Unius Entis nomine, Parmenidem intellexisse, vel unum esse Genus entium, materiæ expers: alia verò, nè entis quidem nomen mereri, quòd sint mutationi obnoxia. Vel unum esse Mundum, in quo res omnes continentur. Vel demum, per Unum Ens, intellexisse Deum, qui est ens primum, æternum, immutabile, in cujus potestate, & efficientia, continentur omnia creata eminenter. Porrò illud Ens, vocari à Parmenide, *Finitum* quod finitam, id est, non inchoatam, sed perfectam & absolutam, nec aliunde pendentem obtineat rationem: à Melisso verò idem illud Unum ens, nuncupari *Infinitum.* Quòd nullà potentiæ, spatii, aut temporis circumscriptione, definitum sit.

Si ità intelligatur Sententia Parmenidis, vel Melissi de Unitate entis, non fuit certò erronea: verùm quia incertum est, an sic debeat intelligi, cùm saltèm primò verbo-

 rum

rum intuitu, & ex communiori ſenſu Lectorum & Auditorum, videatur potiùs intelligenda eſſe in ſenſu alio: ideo rectè acriter inſurrexit Ariſtoteles in Parmenidem, & Meliſſum, vocans eorum Opiniones & Rationes, captioſas, falſas, abſurdas.

XV.

SI Anaxagoras infinitum formâ poſuit, ùt videtur; Optimus Philoſophorum fuit, invitô etiam Ariſtotele. Ibidem ubi Superior Theſis 39.

Anaxagoræ Sententia de generatione rerum exponitur, ac refellitur.

ANaxagoras Clazomenius, Anaximenis Diſcipulus, Præceptor autem Archelai Philoſophi, & Periclis, Summi Oratoris, ac Euripidis Poëtæ fuit: is ergo, videns rem unam ex alia gigni, verbi gratiâ, ex ligno ignem, fumum, cinerem, terram, herbam: ex cibo augeri carnem, oſſa: dicebat omnia omnibus ineſſe, omniáque progigni ex atomis ſimilis Naturæ, quæ antè in chao latitarant: ùt carnem ex infinitis carunculis, latitantibus in cibo: & Os ex infinitis oſſiculis, ibidem latitantibus: ignem, ex particulis igneis latitantibus in ligno: & itâ in qualibet re, infinitas eſſe rerum omnium, quæ ex ea fieri poſſunt particulas: Inquiebat tamen, rem, ab eo tantùm, quod in ipſa abundaret, & emineret, nomen accipere. Verbi gratiâ, dici aquam: ſi plures in ea eſſent aquulæ: dici os, ſi in ea pluea eſſent oſſicula. Ratio ipſius fuit hæc. Quia (ùt refert Plutarchus lib. 1. de placitis Philoſophorum) *inexplicatiſſimum*

illi

illi videbatur, quonam modo, ex eo, quod nusquam esset, posset quid oriri (cùm ex nihilo, nihil fiat) *aut rursum in id, quod nullibi esset, interire. Proinde ex similibus particulis gignebat omnia, & rursum in eadem dissolvebat.*

Verùm sententia erronea esse convincitur. Tum quia, si forma ignis latuit in pulvere pyrio, & in ligno fumus, terra, planta &c. Pari ratione dicam, Anaxagoram, & ejus non sequaces de novo natos, sed fuisse ab initio Mundi: ast latuisse, modò primùm postea apparuisse. Tum quia, quis credat? ignem tantum, quantum videmus perrumpere omnia repagula, nec posse detineri ulla vi, contentum fuisse & cum summa quiete conclusum, intrà granula pulveris tormentarii. Tum quia (ùt arguit Fonseca) si omnium particulæ sunt in singulis rebus, efficerent magnitudinem infinitam, cùm illæ patticulæ sint certæ magnitudinis; ignotæque essent nobis rerum naturæ, utpote quæ constarent principiis infinitis, nec itèm explicabile est, quanam ratione, latentes illæ particulæ educerentur ex iis rebus, ex quibus res aliæ fieri cernuntur.

Ex his habetur Propositionem Lutheri nullatenus posse subsistere.

Accedit. Quomodonam optimus Philosophorum, censeri debeat Anaxagoras, qui ùt scribit Laërtius in ejus vita dicebat: Cælum omne ex lapidibus esse compositum ac vehementi circuitu constare: aliàs continuò, summa vi impetûs, lapsurum? Solem candens ferrum esse, & solùm Peloponeso Insulâ majorem? Animalia etiam perfecta ex humore & calore, terráque manâsse, postea ex invicem nata esse; ex montibus per mutationem fieri mare.

Ejus itèm aliæ grapiter erroneæSententiæ.

XVI.

ARistoteles affirmat, infinitum, seu æternum existere non posse: in Disputatione de simplicitate Dei. Thesi 31. Tom: 2. Viteb.

Infinitum & æternum non sunt idem.

PRima pars hujus Propositionis, inscitiæ Lutherum convincit: clarum enim est, nec apud Aristotelem nec apud Philosophos, idem esse, Infinitum & Æternum. Nam juxta Aristotelem, quodlibet continuum, verbi gratia, lignum, & forma materialis est quid in infinitum divisibile, & sic quid infinitum, saltèm secundùm quid in multitudine partium: non tamen est quid æternum: Potest itèm Deus in Sententia sat communi Classicorum Philosophorum, producere etiam hodie infinitum aliquod in Multitudine, Intensione, imò & in Extensione, quod tamen, ùt evidens est, non esset æternum. Accedit, quòd juxta Aristotelem, Intelligentiæ fuerunt ab æterno, imò & Mundus: vel saltèm, utrùm non fuerit Mundus ab æterno, dubitabat Aristoteles: minimè tamen censuit, Mundum esse infinitum, vel Intelligentias esse infinitas secundùm se.

Secunda Pars Propositionis, Lutherum mendacii apertè convincit. Nam in libris Physicorum, & alibi, multis probavit Aristoteles, Deum verè æternum, defacto existere.

XVII.

XVII.

APud Aristotelem, videntur idem esse, Privatio, Materia, Forma, Mobile, Immobile, Actus, potentia. Thesis 40. Tomo 2. in Disputat. Heidelbergensi.

Hic contra Lutherum, libet uti verbis (paucis immutatis) quibus olim usus Lactantius doctissimus contra Leucippum lib. de Ira Dei. cap. 10. An solus Lutherus oculos habuit, solus mentem? qui profectò omnium cæcus, & excors fuit, qui ea loqueretur, & ea sibi persvaserat videre, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens posset somniare. Quantò melius fuerat Luthero, tacere, quàm in usus tam miserabiles, tam inanes, habere linguam. Quicunque vel obiter legit libros Aristotelis, evidenter intelliget, Propositionem Lutheri, esse ab omni specie veri alienam: Siquidem enumeratis in Propositione, tribuit Aristoteles prædicata longè diversa, ùt constat ex definitionibus appositis: nam Materiam primam, Terminis positivis lib. 1. Phys. Tex. 82. definit Aristoteles sic: *Dico Materiam, primum subjectum uniuscujusque, ex quo fiat aliquid, cum insit, non secundùm Accidens: &, si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* Terminis autem negativis 7. Metaph. T. 8. definit eam sic: *Dico autem materiam, quæ perseipsam, neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur: est enim quid, de quo singula horum prædicantur.* Et S. Augustinus lib.

Juxta Aristotelem, Quid materia prima?

lib. 12. Confeſs. cap. 3. & 6. ait. *Materia, non color eſt, non figura, non corpus, non Spiritus, non tamen omnino nihil.* Et ſicut teſte S. Dionyſio Areopagita lib. 1. de Divinis Nominibus cap. 1. Deus Noſter Optimus Maximus & pefectiſſimus, bifariam à nobis cognoſcitur: primo modo, removendo ab eo quæcunque non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices: ùt cùm dicimus: Deus non eſt Sol, non eſt corpus, non quid compoſitum, non quid mutabile. Altero modo, affirmando ea, quæ important perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ùt cùm dicimus: Deus eſt ens ſummè bonum, ſummè ſapiens, æternum, ſufficiens ſibi ad eſſe: Ità & Materia prima: (quod præter alios advertit, S. Bonaventura) quæ eſt ens imperfectiſſimum, dupliciter à nobis explicatur & definitur: vel negativè, cùm ei perfectiones denegamus, ùt factum eſt in definitione ſecunda: vel Poſitivè, cùm eidem, id quod defectum, & potentiam ſignificat, attribuimus: ùt factum in definitione prima. Et ſicut propter ſummam perfectionem Dei, potiùs cognoſcimus quid non ſit Deus, quàm quid ſit Deus, ùt dicit S. Dionyſius: ità etiam teſte S. Auguſtino lib. 2. Confeſs. cap. 5. materia ignorando cognoſcitur, & cognoſcendo ignoratur, idque propter ſuam ignobilitatem.

Quid Privatio? Privatio, juxta Ariſtotelem 5. lib. Metaph. cap. 22. Textu 27. & lib. 10. cap. 7. textu 15. Eſt negatio formæ, in ſubjecto, Naturâ apto. Et 1. Phyſ. cap. 8. Textu 75. dicit, Privationem per ſe, id eſt ex ſua propria ratione, ac vi, eſſe non ens.

Quid Forma? Forma, juxta Ariſtotelem ſecundo Phyſic. Textu 28. Eſt Ratio ipſius, quod quid erat eſſe rei. id eſt (ùt explicant Interpretes.) Eſt id, in quo cujuſque Compoſiti naturalis eſſentia, præcipuè continetur. Seu quod Eſſentiam rei,

am rei, ejúſque definitionem abſolvit, & ab aliis diſtinguit. Vocatur, apud Ariſtotelem, Forma, *Divinum*, quòd ſit adumbrata quædam Primi ac Puri Actûs participatio. *Pulchrum*, quia omnium ferè rerum naturalium pulchritudo, ex ipſa & per ipſam exiſtit: unde etiam, quia format quaſi materiæ ruditatem vocatur, *Forma*. Dicitur *Species* quia per illam ità res dignoſcuntur, ſicut per ſpeciem dignoſcit viſus colorem. Dicitur *Optimum*, Quia eſt quidpiam maximè pefectum, & appetibile. Dicitur *Terminus, Finis*. Tum quia coërcet materiæ indifferentiam. tum quia eſt Finis, ſeu Terminus generationis. Tum quia Materia, ordinatur ad formam, tanquam ad finem, licèt non ultimatum. Dicitur *Actus*. Quia Materia ex poſſe eſſe hoc aliquid, reducitur formaliter ad eſſe actu hoc aliquid, per formam.

Nomine *Mobilis* univerſaliter intelligit Ariſtoteles, omne id, quod immutari poteſt, tranſeundo ab uno termino ad alium, ſive lationis motus ſit, ſive mutationis, ſive alterationis, vel augmentationis. Nomine, *Immobilis*, intelligitur ſtrictè quod taliter immutari nequit, & tale ens, eſt Deus. Actus primus, & ſecundus dupliciter ſumitur, primò pro Potentia productiva, quæ, *Actus primus* dicitur: & pro Actione, quæ dicitur *Actus ſecundus*. Secundò ſumitur pro eo, quod eſt primum complementum ſubſtantiale rei, quod convenit ſolis formis Subſtantialibus: accidentalibus verò formis convenit in hoc ſenſu, eſſe Actum ſecundum, ſupponentem jam completum ſubſtantialiter ſubjectum.

Quid Mobile?

Quid Immobile?

Quid Actus?

Ex his manifeſtè patet falſitas Theſis ſuprapoſitæ.

XVIII.

ARistoteles, definiendo Animam: Actum primum Corporis vivere potentis: illudere voluit Lectores, & Auditores. In Disput. de Homine.

Explicatur Aristotelica definitio Animæ.

ARistoteles lib. 2. de Anima cap. 1. Textu 6. definit Animam sic. *Anima, primus est Actus, perfectioque Corporis naturalis, potentiâ vitam habentis.* Dicitur, *Actus primus* seu primarius: Formæ enim Accidentales, sunt Actus secundarii, utpote ordinatæ ad formam substantialem. Dicitur, *Actus primus Corporis naturalis,* seu Materiæ primæ: licèt enim nomine Corporis, veniat communiter apud Philosophos totum aliquod compositum substantiale, hic tamen ùt constat ex Textu 4. nomine Corporis intellexit Aristoteles materiam primam. Nomine autem, *Naturalis,* excluditur Corpus artificiale, Mathematicum, quorum non est Anima forma constitutiva, neque Actus, illam, tanquam Potentiam respiciens. Dicitur *Potentiâ vitam habentis* nempe Corporis: quia Corpus, per quod Aristoteles intellexit Materiam primam, respicit ùt potentia Vitam substantialem, seu Animam, ùt Actum suum. Quænam in hac sic explicata definitione, est illusio?

Neque quis dicat, Definitionem prædictam esse vitiosam, cùm faciat sensum hunc: *Anima est Actus Corporis, quod ùt Potentia respicit Animam.* Respondetur enim, Definitiones, non ideo esse vitiosas, quia significent idem, qnod, definitum, (imò ut sint bonæ, id debent habere) sed quia signi-

ſignificant eiſdem terminis. Licèt autem *Vita*, idem ſignificet quod *Anima* eſt tamen conceptus clarior, adeoque eſt recta definitio.

Nota ab Ariſtotele lib. 2. de Anima cap. 2. Textu 24. tradi aliam definitionem Animæ, ſcilicet hanc: *Anima eſt id, quo vivimus, vel ſentimus, vel intelligimus*; & hæc clarior eſt quam prima, &, ſi collectivè ſumatur, ſoli Animæ rationali convenit. Exactiùs verò & univerſaliùs Anima, ídque ex ipſo Ariſtotele lib. 2. cap. 2. Textu 18. definiri poteſt ſic. *Anima eſt principium vegetationum, ſenſationum, intellectionum, ubicunque hi motus reperiuntur.*

Proponitur & alia Definitio Animæ.

XIX.

ARiſtoteles nugatur, quòd homo & ſol generet hominem. In Comment: in Cap. 2. Geneſis.

CErtum eſt, quòd Sol, ùt Cauſa univerſalis, ad generationem hominis activè concurrat: nec diffitetur ipſemet Lutherus ibidem: Materiam enim fœtûs, cæleſti calore imbuit promovétque ad recipiendam formam. Hominem verò Virum, ùt Cauſam particularem activè etiam concurrere ad generationem, nullus dubitat. Imò nec eſt dubium, quin & fæmina ad aliqua officia, generationem antecedentia activè concurrat: qualia ſunt decoctio & confectio ſanguinis, è quo fœtus, ſaltèm partiatim componi debet: itèm evocatio ejuſdem ſanguinis ad locum generationi deſtinatum, & concalefactio, conſervatióque illius, atque alia ſimilia.

Veritas dicti Ariſtotelici explicatur, & probatur.

milia. Licèt controvertatur inter Philosophos, & Medicos, An fœmina activè concurrat ad ipsam introductionem formæ, & disponatur ab illa ultimò Materia, per vim semini inhærentem. Cur ergo Lutherus dicit: Nugatur Aristoteles, quòd homo & sol generet hominem? Ast dicit Lutherus. *Generandi Causa longè aliud est, nempe Verbum Dei, sic jubentis, quod dicit ad hunc Maritum: jam sanguis tuus fiat Masculus, fiat Fœmella.* Quis negat, Deum esse Causam Universalem, omnibúsque aliis vim generandi præbere? Licèt (ùt bene notat Gretserus) ad singulas generationes, non sit opus peculiari jussu DEI, & omnium minimè, crasso illo & rusticano, quo Lutherus, singulas generationes humanas, perfici somniat.

XX.

THeologus non fit, nisì id fiat sinè Aristotele. Thesis 44. Tom. 1. Lat: Viteb. in Disputatione habita, Anno 1518.

Ex Thesi hac, quanta provenit inconvenientia?

QUosnam obices irremovibiles ponit Aristoteles, nè quis fiat Theologus? Itáne nullus fuit in Orbe Christianus Theologus trecentis totis & ampliùs annis ante Lutheri exortum? nam, ùt certum, per tot sæcula, nullus sinè subsidio Philosophiæ Peripateticæ, ad Theologiam discendam se contulit. Nónne Aristoteles modos subministrat in quacunque materia rectè argumentandi? Nónne bene Statuit Principia intrinseca Compositi naturalis, Demonstrat existentiam

am DEI, docet Intelligentias dari Motrices Corporum cæleſtium. Et licèt aliqui ſentiant, poſuiſſe Ariſtotelem Intelligentias non plures, quàm quadraginta ſeptem, tot enim Orbes cæleſtes ponit 12. Metaph: cap. 8. tamen Magnus Suarez, Vaſquez, & alii, rectiùs cenſent, eum longè plures poſuiſſe: Nam præter Intelligentias Motrices Cælorum, primo de Cælo cap. 5. textu 100. dicit, ſupra cæli verticem, eſſe ſubſtantias ſeparatas, beatam vitam agentes.

Evertit dictam Theſim & ipſe Melanthon.

Sed nè multis agam, Lutheri Propoſitionem dictam funditus convellit Anima Lutheri Melanthon, dum ſcribit Tomo 3. Declamat. Melanth. in Oratione de Ariſtotele. *Ariſtotelicum* (inquit) *genus Philoſophiæ, maximè nobis in Eccleſia uſui eſſe arbitramur. Conſtare arbitror inter omnes, maximè nobis in Eccleſia opus eſſe Dialecticâ, quæ methodos rectè informat: quæ dextrè definit, juſtè partitur, aptè connectit, & judicat & divellit monſtroſas connexiones. Hanc artem, qui non nôrunt, lacerunt Materias explicandas, ùt catuli panniculos: libet enim utì Platonis ſimilitudine: Verè eam Plato laudibus effert: inquiens: igniculum eſſe, quem Prometheus è Cælo attulerit, ut in Mentibus hominum, lumen accenderet, ad rectè judicandum: Sed Artis Præcepta nuſquam tradit. Carere igitur Ariſtotelis monumentis non poſſumus.* Et in Epitome Moralis Philoſophiæ diſſerens de Ethica Ariſtotelica, ait: *Adeò prodeſt hæc Philoſophia Theologis, ut ſinè ea tueri ſuum munus non ſatìs poſſint.* Itèm in cap. 5. libri. 5. Ethic: *Hic libellus* (ſcilicet quintus Ethic:) *inter Philoſophicos, de Virtutibus ſcriptos, ùt inſignis gemma eminet: mirâ Solertiâ partes inveſtigatas diſtribuit, & Lectorem ad Aſpiciendam Naturam hominis deducit, ut in eo fontes juſtitiæ conſideret.*

Ex dictis, convellitur etiam illa Theſis Lutheri. *Totus Ari-*

Aristoteles ad Theologiam est tenebra (sic loquitur & scribit ibidem ubi suprà. Thesi 50. Deformator Fidei & Grammaticæ) *ad lucem.*

COROLLARIUM.

DEserviens ad Confirmationem, & uberiorem demonstrationem quorundam Superiùs dictorum.

NOta primò scripsit Lutherus. *Aristoteles fuit Asinus: Est publicus Veritatis, & ex professo hostis. Vastator piæ doctrinæ. Ex libris Aristotelis nihil disci vel doceri potest. Figulus plus Scientiæ habet, quàm in Aristotelicis libris continetur.* Propositiones has esse Veritati dissonas, suprà demonstravi. Adhuc tamen ad uberiùs comprobandam earum falsitatem, ex innumeris sapientissimè dictis & scriptis ab Aristotele, placet hic referre aliqua. Diogenes Laërtius lib. 5. de Vita Philosophorum, agendo de Aristotele recenset inter alia hæc prudentissimè dicta.

Dicta quædam Aristotelis, recensentur.

Interrogatus Aristoteles, quid Mendaces lucrarentur: ut cùm vera, inquit, dixerint, non illis credatur.

Cùm sibi probro daretur, quòd flagitioso homini misericorditer tulisset opem: non, inquit, mores miseratus sum, sed hominem. Causanti itèm, cur stipem non bono homini dedisset: non, inquit, homini dedi, sed humanitati.

Amicis, & Discipulis ista consvevit dicere; ubicunque mora-

moraretur. Aſpectus quidem à circumfuſo aëre, lumen accipit, animus autem à diſciplinis liberalibus.

Studiorum liberalium amaras radices, fructus autem dulces eſſe, aſſerebat.

Sape numero, cùm in Athenienſes inveheretur, ajebat: Illos frumenta & leges inveniſſe, verùm frumentis quidem uti, non autem Legibus.

Rogatus, quidnam citò conſeneſceret: Gratia, inquit.

Quid ſit Spes? Vigilantis, ait, inſomnium.

Tria dicebat pueris eſſe neceſſaria: Ingenium, Exercitationem, Diſciplinam.

Audierat aliquando ſe à quodam, maledictis eſſe laceſſitum: tum ille: Abſentem, inquit, etiam verberet.

Dicebat, Pulchritudinem, plùs, quàm epiſtolas omnes valere ad commendationem.

Rogatus, quo differrent docti ab indoctis. Quo, inquit, viventes à mortuis.

Eruditionem, dicebat, inter proſpera eſſe Ornamentum: inter adverſa, eſſe Refugium: & Parentes, qui liberos erudiendos curâſſent, longè honorabiliores eſſe his, qui ſolùm genuiſſent: eos, enim vivendi tantùm, illos etiam bene beatéque, Auctores eſſe.

Glorianti cuidam, quòd magnæ Urbis eſſet Civis: Noli, inquit, hoc attendere: ſed an dignus ſis magnâ & illuſtri Patriâ.

Rogatus, Quid ſit Amicus. Una, inquit, anima in duobus corporibus habitans: crebróque dicere ſolitus. O Amici, Amicus nemo.

Homines pleroſque ità dicebat eſſe parcos, ac ſi ſemper victuri eſſent: alios tam prodigos, acſi continuò morituri.

Roga-

Rogatus, quid ex Philosophia lucratus fuisset. Hoc, inquit, ut injussus ea faciam, quæ plerique per Legum metum faciunt.

Loquaci Homini, cùm illum improbè probris multis obtudisset, dicenti: Num te satis obtudi? Hercle, inquit, Non tibi animum adverti.

Rogatus, erga Amicos, quales esse debeamus. Quales, inquit, eos, erga nos esse, optamus.

Disciplinam, optimum esse Viaticum dicebat, ad senectutem.

Nota secundo. Non vulgare ingenium Aristotelis, ejúsque prudentiam, sapientiam, veritatísque amorem, sufficienter etiam indicant, ex doctissimis ejus libris desumptæ, sententiæ hæ.

Amicis ambobus existentibus, Veritate nimirum & Homine, sanctum est, præhonorare Veritatem. primo Ethic.

Sententiæ quædam ex libris Aristotelicis desumptæ.

Anima pretiosior est corpore, in omni possessione. 7. Politic. Animæ bonum, est optimum bonum. 1. Rhet.

Anima (intellige rationalis) infunditur corpori, jussu Dei. in lib. de Propriet: Elementorum.

Amor, Odium, & proprium Commmodum, sæpe faciunt Judicem non videre verum. 1. Rhet.

Audire fabulas, est impedimentum cognitioni Veritatis. secundo Metaph.

Accusans debet esse melior Accusato. 2. Politic. Et meritò: tum quia Officium Accusantis est, Causas Accusationis in Accusato demonstrare, quæ Accusanti non serviant. Tum quia Accusans habet se ùt Agens, Accusatus ùt Patiens: Omne autem Agens, quà tale, est præstantius suo passo.

Ad

Ad pauca reſpicientes, facilè enuntiant. lib. 1. de Generat.

Bonum Univerſi, conſiſtit in Ordine. 12. Metaph.

Benefactores, plùs amant (ordinariè) beneficiatos, quàm amantur ab eis. 9. Ethic.

Cor, eſt primum vivens, & ultimum moriens. Lib. de morte & vita. Intellige quoad operationes vitales, quæ priùs apparent in corde, quàm in aliis membris.

Conſulto oportet velociter operari, Conſiliario tardè. 6. Ethic.

Conſvetudo eſt altera natura. 7. Ethic.

Cæcus à nativitate, ſapientior eſt ſurdo & muto. in lib. de ſens. & ſenſato. Quia cæcus audiendo, diſcere plura poteſt, & docere.

Deus, eſt ens, Quo melius excogitari non poteſt. 4. Phyſic. Ditiores, ſunt magìs Fideles Communitati ad communiora. 3. Politic.

Fama, quam omnes homines ſamant, & exclamant, non prorſus ſolet eſſe vana & falſa. 7. Ethic. Et: Quod ab omnibus (præcipuè Sapientibus) dicitur, fidem habet, quòd ità ſit. Lib. de ſomno & Vigilia.

Facilius eſt aliquid facere, quàm rectè facere. 6. Ethic.

Homo beſtialis (id eſt vivens ùt beſtia, ſecundùm ſenſum, & non rationem) centies Milleſies, pejor eſt beſtià. 7. Ethic.

Homo eſt quodammodo finis omnium. 2. Phyſic. Omnia enim propter ipſum à Deo creata.

Homo ſapiens, maximè eſt felix. 10. Ethic.

Juvenes cuſtodiendi, ut non dicant, aut audiant ali-

quid turpe: quia ex dicere aut audire aliquid turpe, ſæpè facere contingit. 7. Politic.

Infirmans ponit ſanitatem, felicitatem: Pauper verò factus, divitias. 1. Ethic.

Infirmi, bellantes, & amantes, ſcientes, & univerſaliter aliquid deſiderantes, & non aſſequentes, de facili iraſcuntur. 2. Rhet.

Iraſci, in quibus non opportet, & non iraſci in quibus oportet, inſipientis eſt. 4. Ethic.

Juramentum, eſt dictio, probationis expers. In Rhetorica ad Alexandrum cap. 18.

Impoſſibile eſt non diligentis Domini ſervos diligentes eſſe. 1. Oecon:

Leges inhoneſtæ, licèt maximè ſint in uſu, aboleri licet. 2. Politic.

Magiſtris, Diis & Parentibus, non poteſt reddi æquivalens. 9. Ethic.

Magiſtratum gerens ſi percuſſerit, repercutiendus non eſt: Si autem Magiſtratum gerentem quis percuſſerit, non ſolùm eſt percutiendus, ſed ſuppliciô inſuper afficiendus. 5. Ethic.

Matres, plûs amant filios, quàm Patres: quia certiores ſunt de illis: & plures labores ſubeunt circa illos. 8. Ethic.

Mulier, majoris eſt pietatis, & compaſſionis, quàm Vir: ſed eſt majoris invidiæ, contentionis, & litis, & malitioſior eſt Virô, & de facili decipitur. 9. de Hiſt. Animalium. Hinc à mulieribus non regitur Civitas. 2. Politic. Et, quia Conſilium Mulierum eſt parùm firmum, & rarum. 1. Politic.

Natura non deficit in neceſſariis, nec redundat in ſuper-

perfluis. 2. de anima. Nihil differt ætate puer, & moribus, puerilis. 1. Ethic.

Non idem eſt bonus Vir, & bonus Civis. 3. Politic.

Oportet diſcentem credere. 1. Elench.

Oppoſita, juxta ſe poſita, magis eluceſcunt. 2. de Cælo.

Omnes homines naturâ ſcire deſiderant. 1. Metaph.

Philoſophia docet homines cognoſcere Creatorem ſuum. lib. de morte. Pejores ſunt nuper ditati, quàm ditati ab antiquo. 2. Politic.

Quod eſt parùm, quaſi nihil differt ab eo, quod eſt nihil. 5. Ethic.

Quod frequenter dicitur, conturbat Audientem. 5. Topic.

Sophiſta, plùs appetit apparenter eſſe ſapiens, quàm exiſtenter: Philoſophus, magìs exiſtenter, & non apparenter. 1. Ehench.

Ver neque una facit hirundo, neque una dies; & Beatum hominem eodem modo, nec unus dies, nec breve uſum efficit tempus. 1 Ethic.

Virtutis merces ac finis, optimum quiddam eſt, divinum & beatum. 1. Ethic.

Si alterum interimit, alterum autem non, profectò non ſunt idem. 7. Topic.

Nota tertiò ſcripſit Lutherus: *Ariſtoteles, Calumniator eſt calumnioſiſſimus, aliis imponit & affingit abſurda.* Hoc calumnioſè dici de Ariſtotele, ſuprà probatum eſt. Id tamen certum, quòd ipſi Ariſtoteli, etiam viventi, multa per Calumniam impoſita ſint. Inter alia & hoc. Cenſuerunt quidam Scriptores, Ariſtotelem non tantùm fuiſſe conſcium ſubitæ mortis Alexandri Magni, ſed etiam excogitatô in id venenô Au-

Ariſtoteles an influxerit in mortem Alexandri Magni?

nô Auctorem, ob Callisthenem Olynthium Consobrinæ Filium, ab Alexandro crudelissimè necatum; nam eum, Caveâ ferreâ inclusum, pedore, atque squallore ferè confectum, Leoni devorandum objecit. Hujus opinionis, veneni ab Antipatro missi, & ab Aristotele excogitati fuit præter alios, Antigonus Rex, & Antonius Caracallus, vel Caracalla, qui etiam ideo in animo habuit, omnes libros Aristotelis igni dare, & Scholas Peripateticorum funditùs delere. Imò in eadem opinione, & Plinius fuisse videtur: nam lib. 3. cap. ultimo, scribit. *Ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam, quæ non perroderetur à veneno Stygis Aquæ, cùm id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum est, magnâ Aristotelis infamiâ, excogitatum.*

Verùm ab hoc crimine, alienum fuisse Aristotelem sufficienter cùm pluribus Scriptoribus, Plutarchus in Vita Alexandri, inter alia evincit etiam ex eo: quòd certum sit, neque tunc mortuô Alexandrô, ullam in Exercitu, veneni suspicionem fuisse: neque tot diebus, quibus inter Principes de successore Alexandri, præsente ejus corpore disceptatum est, ullum in cadavere tumorem, aut livorem, aut veneni indicium, aut vestigium exstitisse. Accedit. Non posse, nec debere censeri, Alexandrum ab Aristotele venenô sublatum, quem paulò ante, à veneno servaverat. Cùm enim puella quædam, præsentissimo Aconiti veneno, quod Napellum vocant, ab infantia nutrita, à Rege Indorum donata esset Alexandro, cujus scintillantes, ad instar serpentum nictantes oculos, cùm Aristoteles observâsset. *Cave tibi ab hac*, inquit: *ab ea nempe tibi exitium paratur.* Neque fefellit hoc tanti Philosophi judicium eventus: nam plerique ex Pro-

Proceribus, venenosæ Mulieris commercio intoxicati, interierunt.

Nota quarto Probabile est, Aristotelem, multa Audivisse eorum, quæ in Sacra Scriptura continentur. Ratio est. Quia Clemens Alexandrinus, Vir doctissimus, & Origenis Magister, lib. 1. Stromatum cap. 6. ait: *Clearchus Peripateticus dicit se, quendam nosse Judæum, cum quo versatus est Aristoteles.* De hoc Judæo sic narrat Aristoteles ipsemet apud Clearchum, ùt refert Eusebius libro 9. de Præparatione Evangelica cap. 3. *Ille Judæus erat, qui sunt Calami, ex India: Judæi autem à loco quem habitant, appellati sunt. Urbs eorum asperrimo quodam nomine, Hierusalem nominatur. Hìc ab altioribus Asiæ locis ad Maritimas Civitates descendens, & linguâ & animô Græcus fuit: cúmque accidisset ut eo tempore, nos quoque in maritimis Asiæ locis versaremur, Philosophiæ amore ad nos venit, qui multò plura ad nos attulit, quàm accepit.* Et Josephus libro 1. contra Appionem, asserit, Aristotelem usum fuisse hebræis Præceptoribus. Imò Marsilius Ficinus lib: de Religione cap. 26. itèm Gilbertus Genebrardus, Theologus Parisiensis & Aquensis Archiepiscopus in Chronographia sua ad Annum Mundi 2670. ajunt scribi à Clearcho, Aristotelem fuisse Judæum: id tamen postremum minùs verisimile est: nullus enim Veterum citatur, qui id à Clearcho, vel à quocunque alio ex Antiquioribus assertum esse diceret.

Philosophi Veteres ùt Aristoteles Plato, multa didicerunt ab Hebræis.

Aristoteles an fuerit Judæus?

Quidam etiam scripserunt, Aristotelem plurimùm versatum fuisse in libris Judæorum: quin nonnulli putàrunt (ut refert Nirembergius in Historia Naturæ lib. 1. cap. 2.) quæ Aristoteles de Animalibus scripsit, esse furtum Salomonicorum librorum. Salomon enim ùt Anastasius Nicænus refert ex Eusebio & aliis, scripserat libros de Natura planta-

rum, & omni genere Animalium qui libri jam non reperiuntur. Vide Cornelium à Lapide in lib. 4. Reg. cap. 18. v. 4.

Plato multa insuper didicit ab Ægyptiis.

Quod Platonem Præceptorem Aristotelis concernit, à gravissimis scriptoribus proditum est, eum aut Hebræorum literas didicisse, aut certè usum Præceptore & Interprete Judæo, ùt præter alios scribit Divus Augustinus lib. 8. de Civit. cap. 11. unde à Numenio, aliisque Peripateticis, Plato vocatur, *Moyses Atticus.* Idem Plato, veritatis causâ indagandæ Ægyptum Thebásque Ægyptias collustrabat, ùt testatur Theodoretus lib. 1. de curandis Græcorum Affectionibus: in Ægypto autem frequentes erant Hebræi: non multùm enim Judæa distat ab Ægypto: ibidémque Hebræorum Patriarchæ vixerunt: ibi enim fuerat Abraham peregrinus, ibi Joseph quem constituerat Pharao Rex Ægypti, Principem Domûs suæ, *ut erudiret Principes ejus sicut seipsum, & senes ejus prudentiam doceret*: ùt legitur in Psalmo 104. Ibi Jacob cum filiis, & cæteri Patriarchæ plenissimi Deo, ibi denique Hebræi omnes per annos ferme quadringentos commorati sunt à quibus didicerunt Ægyptii de Vero DEO, quod deinde Philosophi eò advenientes, Gentibus imperti-rent. Quod ipsum nec videtur diffiteri Porphyrius, quin & Plato in Epimenide.

Aristoteles in quo accusatus?

Nota quinto Vivente Alexandro, Aristoteles invidiam suorum Æmulorum quos Doctrinæ & Fortunæ Causâ plurimos habuit facilè superabat. Verùm Alexandro vitâ functo, compressum Æmulorum odium in eum exarsit, vocatúsque in judicium, quòd Deorum multitudinem contemneret, veritus Judicium Atheniensium, Athenis Chalcidem, quæ in Eubæa est Insula se contulit. *Est* (inquit Origenes libro

libro primo contra Celsum) *memoriæ de Aristotele proditum, eum adversum se perinde ac impium, futurum esset, ut concitati Judices convenirent, quia Dogmata quædam Philosophiæ ejus induxerat, quæ contra Deorum cultum facere Athenienses existimarent, ex Athenis secedens, Chalcidem se contulit, ubi & diu permansit, quo ex loco familiaribus & notis scribentibus, cùm responderet. Ex Athenis inquit secessimus, nè Causam demus Atheniensibus, secundò scelus committere, quale in Socratem* (qui ideo, ùt Tertullianus in Apologetico Cap. 13. & S. Justinus in Apologia prima, ad Senatum ait, damnatus est, quia Deos destruebat, unitatem confessus) *commiserunt, nève contra Philosophiam iteratò impietatis coarguantur.* Itaque Chalcide deinde versatus, cùm nec Eurippi septies in die ac nocte reciprocantis naturam, qui in Chalcide est, Scientiâ comprehendere posset, magna ignominia & dedecore offensus, excessit è vita, ùt scribit Sanctus Justinus in Oratione Parænetica ad Gentes. Vel alia de causa, morbô correptus, à suis Discipulis qui eò confluxerant rogatus, ut Lycei sui, successorem deligeret. Theophrasto Lesbio, & Menedemo Rhodio Magisterium affectantibus, ille petitis, delibatisque vini duobus poculis, altero Lesbio, altero Rhodio. *Utrumque* inquit *oppidò bonum, sed Lesbium Svavius.* hoc dicto lepidè simul & verecundè, Theophrastum Menedemo prætulit: itaque successore taliter designato, dolore simul, ac spe, in lacrymas profusus, Primæ Causæ misericordiam implorans, decessit è vita, expletô ferè tertiô & sexagesimô ætatis suæ anno. Sub idem tempus Demosthenes, summus Orator in Calabria Thraciæ, haustô venenô obiit.

Mors Aristotelis.

Nota sexto Peripatetici insigniores ex Veteribus Philosophi fuerunt hi. Tyrtamus, qui postea ab Aristotele, ob divi-

Peripatetici insigniores quinam ex Veteribus?

divinam elocutionem, appellatus eſt Theophraſtus, Succeſſor in Lyceo Ariſtotelis: ejus Scholam ad duo millia diſcipulorum frequentârunt. Strato Lampſacenus, qui fuit Ptolomæi Philadelphi, ſecundi poſt Alexandrum Magnum Ægypti Regis, Præceptor: Demetrius Phalereus, Athenarum Præfectus, poſtea Bibliothecæ Alexandrinæ, quam quingentis ferè librorum millibus ornavit, ejúſque conſiliô effectum, ut Sacra Scriptura, ex Hebræo in Græcum ſermonem à ſeptuaginta duobus Interpretibus, fideliſſimè verteretur: Svaſit enim Philadelpho Regi Ægypti, ut ab Eleazaro Pontifice Judæorum, Viros digniſſimos, linguæ Hebrææ & Græcè peritiſſimos ſibi mitti poſtularet, à quibus Vetus Teſtamentum ex hebræo, in græcum textum verteretur: miſſi proinde 72. de ſingulis ſcilicet 12. tribubus, ſeni, qui in Pharo Inſula, 72. dierum Spatiô, id præſtiterunt, planè miraculosè, licet enim nullam conventionem præviam inter ſe fecerint, eſſéntque ſinguli in ſeparatis Cellulis collocati, tamen Prophetarum more, nihil in alicujus Codice eorum inventum eſt, quod non iiſdem verbis, eodémque verborum ordine inveniretur in cæteris. ùt refert Philo, S. Irenæus, Epiphanius, Auguſtinus, Juſtinus, & alii.

Paulò etiam ante Machabæorum Principatum, celebris fuit Ariſtobulus Judæus, dictus, Peripateticus: ejus, ſecundo lib. Machab. cap. 1. habetur mentio. Cicerone jam ſene Princeps Peripateticorum illius temporis, erat Cratippus, cujus Auditor in Philoſophia fuit filius Ciceronis.

Quinam itèm Commentatores Ariſtotelis?

Nota ſeptimò Commentatores librorum Ariſtotelis fuerunt plurimi. In iis prima gloria debetur Alexandro Aphrodiſæo, qui tempore Alexandri Severi Cæſaris, primus omnium, omnes ferè libros Ariſtotelis accuratè interpretatus

tatus eſt. Poſtea Themiſtius, qui floruit tempore Valentis Imperatoris, & multos libros Ariſtotelis perſpicuè explanavit, eum S. Auguſtinus in libro de Categoriis Ariſtotelis, eximium Philoſophum appellat, ſuæque ætatis, & ſuum Magiſtrum fuiſſe, ſignificat. Joannes Philoponus & Simplicius in exponendis libris Ariſtotelis ſat conſpicui Philoſophi, quorum primus ſub Phoca Imperatore vixit, ſecundus ferè tempore Boëtii floruit. Poſtea Averroës Arabs, qui antonomaſticè dicitur Commentator. Longè tamen luculentiùs & clariùs, quàm quicunque ex prædictis Commentatoribus, explicavit libros Ariſtotelis, S. Thomas, quem poſtea plures alii ſecuti ſunt.

Nota ultimò Photius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Schiſmatis inter Græcam & Latinam Eccleſiam Auctor & Fautor, in ſuo Volumine Myriobiblos ſive, Bibliotheca dicto, habet hæc: *Juſtini Martyris lectus eſt liber, quo primum & ſecundum librum Ariſtotelis de Natura refellit, ſive Formam & Materiam ac Privationem labefactat. Itèm Quintam Naturam ſive Elementum æternúmque motum.* Aſt, illum librum eſſe S. Juſtini negant plerique graves Scriptores cum Noſtro Poſſevino: nec Divus Hieronymus, recenſens libros S. Juſtini, illius libri mentionem ullam facit, nec Euſebius, Suidas & alii. Hoc certum, ùt refert S. Hieronymus in Epiſtola 84. ad Magnum, quòd *Origenes decem ſcripſit ſtromateos, Chriſtianorum & Philoſophorum inter ſe Sententias comparans, & omnia Religionis Noſtræ Dogmata, de Platone & Ariſtotele, Numenio, Cornutóque confirmans.*

S. Juſtinus ſcripſitne cōtra Ariſtotelem?

TRACTATUS SECUNDUS.

Lutheri Propoſitiones, quæ opponuntur Philoſophiæ Peripateticæ generaliter, convelluntur.

I.

EGo ſimpliciter credo, quòd impoſſibile ſit, Eccleſiam reformari; niſì funditus Scholaſtica Theologia, Philoſophia, Logica, ùt nunc habentur, eradicentur. *Epiſt. 47.*

Qualinam fide credidit Lutherus, quod aſſerit in Theſi?

SI Lutherus id credidit fide divina? oſtendendus erat clarus Textus Scripturæ Sacræ, cui innititur illud credo. Utique juxta doctrinam illius, nihil credi debet fide divina, niſì quod expreſsè habetur in Scriptura Sacra? Dicit quidem S. Paulus ad Coloſſ. 2. *Videte, nè quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam.* Sed unde ex Scriptura conſtat, quòd loquatur hìc Apoſtolus de Theologia Scholaſtica & de Philoſophia Ariſtotelica? unde conſtat ex Scriptura, quòd hæc ſint inanis fallacia, per eáque decipiantur Chriſtiani?

ſtiani? Vide dicta in Defenſione Theologiæ Scholaſticæ, in Tractatu primo, ſub Theſi quinta.

Si verò Lutherus id credidit fide humana: producendi erant viri, Sanctitate & verâ doctrinâ conſpicui, qui idem aſſerant de illis ſcientiis. Fortè producet Lutherus Vicleffum, cujus Propoſitio fuit hæc: *Univerſitates, ſtudia, Collegia Graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana Gentilitate introducta, & tantùm proſunt Eccleſiæ, ſicut Diabolus.* Verùm is nullam mereri fidem debet etiam apud Lutherum & ejus ſequaces. Tum quia Vicleffus exiſtens in Anglia Parochus Eccleſiæ Enthledorenſis, & Profeſſor Theologiæ in Univerſitate Oxfordienſi, fruſtratus ſpe potiundi Epiſcopatûs Lincolnienſis, contra Romam inſurrexit, & in errores graves lapſus eſt, factus Hæreſiarcha, & Archi-Sacramentarius: magis quàm hodie ſunt Zuingliani, Calviniſtæ; Sacramentarios autem ipſe Lutherus in Colloq: Menſal: tit: de Hæreticis vocat *perdiabolatos, ſuperdiabolatos, transdiabolatos Hæreticos.* Tum quia dicta Propoſitio Vicleffi cum aliis 44. fuit Anno 1408. condemnata ab Univerſitate Pariſienſi generaliter: à Facultate Theologica ſpecialiter, & à Natione Bohemica ſpecialiſſimè & ſeveriſſimè: Deinde trigeſimo ferè anno poſt mortem funeſtam Vicleffi, damnata eſt à toto generali Concilio Conſtantienſi. Tum quia inter alias Propoſitiones 45. damnatas, fuerunt & illæ ſummè impiæ: *Deus debet obedire diabolo. Nullus eſt Dominus Civitatis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt. Ingredientes Clauſtra ſunt viri diabolici, Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus & Commercia Civilia &c.* Proinde rectè ab antiquo

Vicleffus Hereſiarcha, hoſtis ſcientiarum.

Vicleffi Propoſitiones impiæ.

Historico Anglicano, Thoma de Valsingham, in Hypodigmate Neustriæ, Vicleffus vocatur: Organum Diabolicum, hostis Ecclesiæ, Vulgi confusio, hæreticorum Idolum, Hypocritarum simulacrum, Schismatis instaurator, mendacii promptuarium &c. Meritò itèm decrevit Concilium Constantiense, ossa illius effodi, exhumari, atque extra Ecclesiam projici.

Elogium Theologiæ Scholasticæ à Sixto Quinto

Porrò, Scholastica Theologia, quàm utilis sit Ecclesiæ Christi, ostendi sufficienter in libro, cui titulus: Defensio Theologiæ Scholasticæ, in Tractatu primo. Nunc addo luculentum, & vero consonum elogium, à Sixto V. Theologiæ datum, quod continetur in Bulla à quadraginta novem Cardinalibus subscripta, ab universóque Orthodoxo Orbe approbata, quâ Sanctus Bonaventura inter Ecclesiæ Doctores adscribitur, edita anno 1588. *Hæreticorum insidiæ, & diabolicæ machinationes, Sacram Theologiam, quæ Scholastica appellatur, hoc luctuoso sæculo oppugnant, quâ nihil Ecclesiæ DEI fructuosius. Divino enim illius munere, qui solus dat spiritum Scientiæ, & Sapientiæ & intelligentiæ, quíque Ecclesiam suam per sæculorum ætates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis præsidiis instruit, inventa est à Majoribus nostris Sapientissimis Viris Theologia Scholastica. Hujus, tam salutaris scientiæ cognitio & exercitatio, quæ ab uberrimis divinarum literarum, summorum Pontificum, SS. Patrum, & Conciliorum fontibus dimanat, semper certè maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas verè & sanè intelligendas, & interpretandas: sive ad Patres securiùs & utiliùs perlegendos & explicandos: sive ad varios errores & hæreses detegendas, & refellendas. His verò novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa, ab Apostolo descripta, & homines blasphemi, superbi, seductores, proficiunt in pejus, errantes, & alios in errorem mittentes; sanè Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, & hæresibus confutandis perne-*

perneceſſaria eſt: Et profectò rem ità ſe habere ipſimet Veritatis inimici, ſunt judices, quibus Theologia Scholaſtica maximè eſt formidoloſa, qui profectò intelligunt, aptâ illâ, & inter ſe nexâ, rerum & cauſarum cohærentiâ, illo ordine & diſpoſitione, tanquam militum in pugnando inſtructione, illis dilucidis definitionibus, & diſtinctionibus, illâ argumentorum firmitate, & acutiſſimis diſputationibus, lucem à tenebris, verum à falso diſtingi, eorúmque mendacia, multis præſtigiis & fallaciis involuta, tanquam veſte detracta, patefieri & denudari. Quantò igitur magis illi hanc munitiſſimam Scholaſticæ Theologiæ Arcem oppugnare & evertere conantur, tantò magis nos decet, hoc invictæ Fidei propugnaculum defendere, & Hæreditatem Patrum noſtrorum, conſervare & tueri, & acerrimos Veritatis defenſores, meritis honoribus, quantùm poſſumus, honorare. Sanctus verò Franciſcus Seraphicus in Teſtamento ſuo reliquit ſuis obſervandum Monitum hoc: *Debemus honorare & venerari Theologos, quia miniſtrant nobis ſpiritum & vitam.* ùt refert Bartholomæus Durand. Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, initio ſuæ Theologiæ. Philoſophia etiam neceſſaria eſt Theologiæ & Eccleſiæ. Tum quia, ùt certum eſt, plurima ſunt in Scriptura Sacra, Patribus & Conciliis, quæ ſinè Philoſophiæ adminiculo abſolutè non, aut vix intelligi poſſunt. Tum quia ſinè illa, hæreticorum & infidelium fallaciæ, & ſophiſmata, detegi vix poſſunt. Tum quia (ùt rectè notat magnus Suarez initio ſuæ Metaphyſicæ) Principia ac Veritates Theologiæ, ità cum Philoſophicis Concluſionibus ac diſcurſibus cohærent; ut ſi harum cognitio & ſcientia auferatur, illarum etiam ſcientiam labefactari neceſſe ſit. Ipsíque Patres antiqui exemplô ſuô docuerunt, cum Sacris literis jungendam Philoſophiam, ùt Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, Hieronymus, Baſilius, Juſtinus & Lucianus Marty-

S. Franciſcus, quantùm appretiet Theologiam?

Philoſophia, cur Theologiæ neceſſaria?

Martyres, Tertullianus, & alii, qui fuerunt in Philosophia versatissimi, ùt patet ex scriptis eorum & gestis. Unde S. Hieronymus (in Epistola 4. ad Magnum Romanum Oratorem) enumeratis pluribus Scripturæ Sacræ Doctoribus, subjungit: *Qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis atque scientiis suos resperserunt Libros, ut nescias, quid in eis primùm mirari debeas, utrùm eruditionem sæculi, & scientiam Scripturarum.* Et in Epistola eadem scribit: *Clemens Alexandriæ Ecclesiæ Presbyter, Vir meô judiciô omnium eruditissimus, in illius libris quid non è media Philosophia est?*

Si dicat quispiam: Philosophiam & Theologiam: esse necessariam Ecclesiæ, sed non talem, prout nunc traditur.

Quid displicet in illis prout nunc à Classicis Doctoribus traduntur? Methodus certè moderna tradendi Philosophiam, multum confert ad claritatem doctrinæ, conjunctam brevitati: Quæstiones principales Philosophicæ, magna ex parte etiam retroactis sæculis, discutiebantur, licèt fortè non ità exactè, ùt nunc: multæque novæ accesserunt: aliæque adhuc haud dubiè accessuræ, ùt fieri solet in quavis scientia. *Dies enim diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Unde eleganter & verè scripsit Philo Ad initium Libri de Somniis. *Semper plura, quàm discuntur, supersunt, ut etiam is, qui se putat attigisse finem scientiæ, semiperfectus habeatur, sub alio Judice.* Et Lib. de plantat: Noë: *Nihil licet jurare certiùs, quàm quòd nullius scientiæ finis inveniatur, apud ullum artificem. Idem dicere possumus & de aliis potentiis nostris pænè omnibus.* Non approbo tamen illos minoris notæ Philosophos, qui ad ostentationem subtilitatum, & ingenii sui, ea sæpè, quæ sunt multum spinosa, minùsque necessaria tractant fusè nimis: de iis verò, quæ convenit magis scire, vel perfuncto-

functoriè & quasi per transennam agunt, vel penitùs omittunt.

Nota: In numerum Persecutorum Ecclesiæ à S. Augustino Julianum Apostatam repositum esse, ex eo præcipuè: quòd Christianos, literarum studio vacare prohibuerit. Cur enim quærit S. Augustinus, non debeat reponi in numerum Persecutorum? *An ipse* (inquit lib. 13. Civit: cap. 52.) *non est Ecclesiam persecutus? qui Christianos, liberales literas docere, ac discere vetuit?* intendens tali ratione faciliùs convellere fidem Orthodoxam. Quidni pariter in Cathalogum hostium Ecclesiæ referatur Lutherus? qui funditus eradicare voluit Theologiam & Philosophicas Scientias? imò universaliter Lib. de Reformatione Christianæ Reipub: pronuntiavit. *Statuo, quòd Diabolus studia in Mundum introduxerit.*

Hostis Scientiarum, est hostis Ecclesiæ.

II.

EX Studiis Philosophiæ, totum Pelagus nocentiæ. Tomo 1. Epist. Lat: Epist: 54.

V*Idendum est* (inquit Melanthon, in Disput: de utilitate Philoso: Moralis) *nè quis existimet, Philosophiam esse absurdas opiniones, improbatas bonorum & prudentum judiciis.* Quomodo ergo ex Philosophia totum pelagus nocentiæ? Ex studiis Pseudo-Philosophiæ, quæ est, *inanis fallacia.* ad Collos: 2. & *falsi nominis scientia*, ùt eam nominat Apostolus 1. ad Thimot. 6. v. 20. & superstitio gentilitatis, aliqua mala profluxisse, libens concedo. Unde & Tertullianus

Ex Pseudo Philosophia profluxêre mala.

nus Lib. de Anima: cap: 3. ejuſmodi Philoſophos, vocat: *Patriarchas Hæreticorum.* Et Lib. de Præſcriptio: cap. 7. de tali Philoſophia differens, ait: *Hæreſes à Philoſophia ſubornantur. Indè Aeones, & formæ, neſcio quæ, & Trinitas hominis apud Valentinum, (Platonicus fuerat) Indè Marcionis Deus de tranquillitate, à Stoicis venerat. Et uti anima interire dicatur, ab Epicureis obſervatur. Et ut carnis reſtitutio negetur, de una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur: & ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit: eædem materiæ apud hæreticos volutantur, iidem retractatus implicantur.* Præcipuè tamen è Platonis ſpeculationibus variis erroneis (ùt de Diis quibuſdam mediis, de productione Verbi, de Campis Eliſiis, de expiandis criminibus anteactæ vitæ in corporibus beſtiarum) vel ortas eſſe Hæreſes omnes, vel auctas & roboratas ad ſua uſque tempora aſſerit Tertullianus, aliàs Platonis Studioſus, dum dicit Lib. de Anima: *Doleo, bona fide, Platonem, omnium hæreticorum condimentarium factum.*

III.

PHiloſophia Peripatetica, Chriſto-Ariſtotelem Æquat, quantum ad Auctoritatem & Fidem pertinet. in Lib. contra Catharinum.

Quanta impudentia Lutheri?

ITèm in Explicatione octavi Præcepti Tomo primo ait. *Hucuſque lectus eſt Ariſtoteles, ùt Sacræ literæ, de Fide & Religione.* Quàm portentoſum mendacium! Nónne quivis Catholicus

licus Philoſophus Peripateticus, pro quacunque minima, ùt ſic loquar, particella doctrinæ Chriſti Domini, & pro quocunque articulo Sanctæ Fidei, in Scriptura Sacra, contentis, paratus eſt, vitam, potiùs & ſanguinem profundere: quàm illa negare? Quis autem id vellet facere pro conteſtanda veritate doctrinæ Ariſtotelicæ, Verbi gratia, pro definitione Ariſtotelica Principiorum Corporis naturalis, vel Materiæ aut Formæ ſubſtantialis? imò, quòd detur materia prima, aut Orbes cæleſtes concentrici 47.? Quis Catholicorum Philoſophorum vel dubitat, quòd mundus ſit in tempore productus? quòd Intelligentiæ ſeu Angeli non ſint ipſi coæterni Deo? cùm tamen Ariſtoteles, vel aſſeruerit ſimpliciter, Mundum eſſe ab æterno, & Intelligentias coæternas Deo, vel ſaltèm de hoc dubitaverit. Nónne illi Philoſophi, qui cum Scoto cenſent Ariſtotelem fuiſſe dubium, utrùm Anima humana ſit immortalis, firmiſſimè aſſerunt Animam eſſe immortalem? Nónne Peripatetici docent, Cælos eſſe corpora compoſita, non ſimplicia; eſſe corruptibiles? Poſſe à Deo creari, de novo plures Mundos: plures itèm Angelos, illáque omnia in nihilum poſſe abſolutè redigi? A privatione ad habitum poſſe abſolutè dari regreſſum? Propoſitiones de futuris liberis ſive abſolutis ſive conditionatis eſſe determinatè veras, aut determinatè falſas? Licèt ſciatur, de pleriſque enumeratis Ariſtotelem ſenſiſſe contrarium.

Philippus Melanthon defendendo hìc Lutheri impudentiam auget adhuc illam, dicendo: *Tam pertinaciter Philoſophi Ariſtotelem tuentur; ut nè locum quidem eſſe Chriſto in Scholis velint.* *Nec non Melanthonis!*

Boni ſuperi! Quid iſto mendacio poteſt eſſe mendacius? Philoſophus quivis Orthodoxus reſpuit, & damnat id totum,

K

tum, quidquid in Aristotelis doctrina vel leviter dissonum est Christo, ejúsque Sanctissimæ doctrinæ, ab omni errore penitùs remotissimæ: vide dicta suprà. Itèm si Philosophia æquat Aristotelem Christo, quantum ad auctoritatem & fidem pertinet, ùt suprà dixit Lutherus; Ergo saltèm æqualis locus est apud Philosophos Christo, ac Aristoteli. Quomodo ergo nunc dicitur, quod Philosophi Aristotelem tueantur & excludant Christum, ut nè locum esse Christo in Scholis quidem velint? Quomodo ausus scribere ipsemet Lutherus. Lib: contra Catharinum? *Certum est, Aristotelem esse Doctorem hodie omnium Universitatum, magìs quàm Christum?* Et in libro contra Regem Angliæ. *Aristoteles, est Thomistarum DEUS.*

IV.

VErè per Philosophiam Peripateticam seducti sumus. Tomo I. Lat. Viber: In Explicatione octavi Præcepti.

DIcit enim Tomo primo Lat: Viteb: in Eplicat: octavi præcepti: *Verè seducti sumus per Aristotelem & commenta ejus.* Minimè. Nam si aliquid continet Aristoteles in suis scriptis, dissonum rectæ Fidei; id statim à Philosopho Orthodoxo rejicitur, & refellitur. Hoc certum est, quòd amor Mulierum, præsertim illius Catharinæ Borrhæ, cum qua postea incestuosas & ter Sacrilegas contraxisti nuptias, nimia itèm superbia (quæ teste S. Augustino est Mater Hæreseos) te seduxerit Luthere, & ab Ecclesia Orthodoxa abduxerit. Certum itèm, quòd multi, inferni nunc pœnam susti-

A quonā seductus Lutherus?

ſuſtinentes, ingeminent: Ergo erravimus: per Luherum, ejuſque Prædicantes, verè, (dolendum!) æternùm ſeducti ſumus.

V.

PAripatetici credunt hoc eſſe Philoſophiam, quod non eſt. In Explicatione octavi Præcepti.

SI quæratur ex Periteticis. Quid ſit Philoſophia? Reſpondent. Philoſophia, ſi vim nominis ſpectes, eſt Amor ſapientiæ. φίλος enim ex Græco, amorem, σοφία, ſapientiam ſignificant. Si rem ſpectes, juxta Ariſtotelem. 2. Metaph: Eſt ſcientia contemplatrix Veritatis. Ab aliis definitur Philoſophia ſic: *Eſt Entis creati, ſub multiplici certa ratione formali; & Increati, præcisè ſecundùm lumen Naturæ, Scientia.* Dicitur. *Entis creati,* nihil enim eſt in rebus creatis, lumine Naturæ ab intellectu Humano cognoſcibile, quod ſit extra ſphæram objecti Philoſophiæ. Et ideo Ariſtoteles quarto Metaph: cap: ſecundo dicit. Philoſophi eſt, de omnibus poſſe ſpeculari. Quod ipſum inductione conſtat: Logica enim conſiderat Intellectûs humani operationes, ſub ratione dirigibilitatis & rectitudinis ad ſua certa præcepta: Phyſica, Corpus naturale, tam ſublunare, quàm Cæleſte, cum ſuis proprietatibus ſpeculatur, ſub ratione naturalitatis: Methaphyſica altiùs aſſurgens, rerum omnium creatarum Eſſentiam, ſub ratione Entis, & oppoſitas vero Enti Negationes, Impoſſibilia, ſpeculatur: imò & Intelligentias

Quidnam Philoſophia?

Quodnã Objectum Logicæ? Phyſicæ? Metaphyſicæ?

 Cæle-

Cælestes, nempe Angelos, ipsúmque Ens Entium, Ens à se, Deum Optimum Maximum, prout ad lumen naturale cognosci potest, cognitione attingit. Mathematicæ (teste enim ipso Aristotele, sexto Metaph: dividitur Philosophia in Physicam, Mathematicam & Methaphysicam) objectum, est Quantitas multifaria: scilicet Arithmeticæ, Quantitas discreta; Geometriæ, Quantitas continua: Astronomiæ, Quantitas successiva.

Mathematicæ?

Ethicæ?

Philosophia demum Moralis, seu Ethica, considerat naturam summi Boni, & Finis ultimi; tum actus humanos, & virtutes, quibus à nobis hic finis comparari potest. Dicitur in data definitione: *Præcisè, secundùm lumen naturæ*: ut ità differat Philosophia à Theologia propriè dicta; quæ siquidem suas Conclusiones ex Præmissis duabus vel saltèm una fidei divinæ, infert, non est Scientia præcisè secundùm lumen Naturæ. Ultimò dicitur. *Scientia.* Quia suas Conclusiones, & veritates circa enumerata objecta, deducit per discursum ex Præmissis certis, & evidentibus. In data definitione *Scientia*, est Genus: reliquæ particulæ, sunt differentia. A S. Damasceno cap. primo suæ Physicæ, definitur Philosophia sic: *Est eorum, quæ sunt, quatenus sunt* (seu per causas) *cognitio.* Et licèt Dei nullà sit Causa, in esse; est tamen in cognosci. Quidnam desideratur in datis definitionibus Philosophiæ, quò minùs, à Luthero, & ejus Asseclis censeantur rectæ? Dicatúrque, à Peripateticis credi, hoc esse Philosophiam, quod non est?

VI.

VI.

PEripatetici Philoſophi meras ſectantur nugas. In Explicat: octavi Præcepti.

MEræne ſunt nugæ præcepta Logicæ, de formandis rectè Definitionibus, Diviſionibus, Converſionibus, Argumentationibus, &c.

Materia, quam tractant Philoſophi, nobiliſſima.

Meræne ſunt nugæ, Quæſtiones de Principiis intrinſecis Compoſiti naturalis. De Cauſa Prima efficiente, ejúſque concurſu cum Cauſis ſecundis. De Cauſis efficientibus ſecundis : itèm de Cauſa Materiali, Formali, Finali, & Exemplari? Meræne nugæ Quæſtiones de Proprietatibus Corporis naturalis; ùt Motu, Loco, Vacuo, Tempore, Continuo, Generatione, Corruptione, Mundo, Corporibus Cæleſtibus, Anima vegetativa, ſenſitiva, rationali, earúmque Potentiis: de Meteoris Parvíſque naturalibus? Meræne nugæ Diſputationes de Ente ut ſic, ejúſque Attributis: de Diſtinctionibus, Relationibus, Subſtantia, Subſiſtentia, Negationibus, Intelligentiis, ipſóque Deo. &c. Verè merus nugo eſt, qui has Quæſtiones ſcitu digniſſimas, meras nugas vocat. Sapienter Cardinalis Pallavicinius in Vindicationibus Societatis cap. 28. ait: *Sacrilega vox eſt, quæ qualemcunque tandem veritatis contemplationem, in qua Gloria Dei continetur, quaſi nugamentum irridet. Ut quorundam fluminum, arena ipſa pretioſa eſt; quorundam animantium fæces, odore ſunt nobiles: ità rerum tam ſublimium, de quibus Philoſophia tractat, nulla pars, nulla proprietas, tam humilis eſt, quam jure, humana meditatio deſpiciat.*

VII.

PHilosophia Thomistica ruat. Epist: 78.

Lutherus quàm Scommaticus in Divum Thomam, & Thomistas!

DEcretum hoc tuum, vel votum, Luthere, non sortitur effectum, Consistit bene, & in posterum consistet Philosophia Thomistica, in Aristotelis, & S. Thomæ doctrina & Principiis passim fundata. Cur non decernis, aut voves, ut ruat etiam Philosophia Scotistica, & Nominalium? sed quid quæro? Cùm haud inscius sim, Cor Lutheri ingenti odio æstuâsse in Angelicum Doctorem, divinissimum Thomam, & Religiosissimos ac Sapientissimos Thomistas. Nónne Luthero, Princeps Theologorum, S. Thomas, *est blatero, cucullatus impudentissimus? &c.* Nónne illi In Lib: Contra Regem Angliæ, *Thomista, est Sacrilegus, & mortificus Scripturæ Sacræ Dei Latro? Stupidum & planè lethargicum sophistarum Genus, ut nihil crassiùs & ignaviùs genuerit hominum. Natura: fex novissimarum abominationum.* Alibi autem utique scripsit mendaciter, *Ego* (inquit in Lib: contra Latomum) *planè illud verum nunc video, Thomistam purum, esse Asinum verum, &c.*

Diversæ olim Philosophorum sectæ. Sceptici. Epicurei.

Nota primò, Olim Philosophi in diversas divisi fuerunt sectas. Primò enim erant Sceptici. Qui nihil affirmare, aut negare volebant; sed scientiam omnem tollentes, de omnibus dubitabant, Duce Pyrrhone, & Arcesilla; quos benè vocat Lactantius; *Magistros ignorantiæ.* Secundò. Epicurei, quos, eò quia summum hominis bonum, in voluptate Corporis constituerunt, *Philosophorum pecudes* S. Hierony-

ronymus, meritò appellavit. Tertiò, Cynici, qui solùm Cavillis studebant esse superiores, in horum numero, dicit Galenus fuisse Menodemum, & Cliomachum. Quartò Academici, dicti à loco nemoroso, à quodam Heroë Academio nomine, appellato, prope Athenas sito, in quo Plato docebat. Quintò Stoici, sic appellati ἀπὸ τῆς σόας seu à Porticu, quem in locum, disputandi causâ, convenire solebant, Duce Zenone. Sextò Peripatetici, Duce Aristotele, qui discipulorum magnô numerô: circumfusus, quia solitus erat, inambulando disputare, & docere: vel ùt alii malunt, quia ab ægritudine convalescenti, & deambulanti Alexandro assistens, quædam disserere consveverat, Peripatetici nomen, cum suis sectatoribus accepit.

Cynici. *Academici.* *Stoici.* *Peripatetici.*

Nota secundò. Licèt ferè omnes nunc Scholæ in Philosophicis, Ducem primariò sequantur Aristotelem, in iis quæ non repugnant fidei: quia tamen plurimæ modò tractantur quæstiones, quarum multæ ab Aristotele intermissæ sunt; aliquæ autem obscuriùs pertractatæ, ideo multi, secundarios quasi Duces sibi in Philosophicis decidendis quæstionibus; & quidem in multis sibi oppositos, elegerunt. Alii enim S. Thomam, alii Scotum; unde & Thomistæ, Scotistæ, appellantur; alii Resolutum Doctorem, Bacconium: aliqui, Gabrielem, Occhamum, Nominales, sic dictos, vel quia (ùt dicit Aventinus Annal. Bojorum Lib: 6.) Quòd avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur esse assertores: vel potiùs (ùt vult Hurtadus Disput: 5. Metaphys: Sectio: 4.) quòd affirmaverint scientiam haberi de solis vocibus communibus: non quidem eo sensu, quòd voluerint definitionem v. g. hominis convenire voci, *Homo*. Sed quia v. g. hominem, habere universalita-

Scholæ Recentiorum diversæ. *Unde dicti Nominales?*

tem

tem à sola voce, & conceptu *homo* dixerint; & quia Scientiæ sunt de Universalibus, hæcque constituuntur formalites per conceptus, dixerunt scientiam esse de Communibus Conceptibus ùt *quo*: quia sunt principium, *quo* res sunt Universales. *Minima Societas nostra*, libertatis amans, non unius Auctoris voluit esse cultrix; nè aliorum omnium fieret contemptrix; atque ab hac libertate sentiendi in Philosophicis, antomasticè, Scholæ nostræ vocantur *Liberæ*. Quanquam in Societate nostra, Lege sancitum est, nè ab Aristotele recedatur; nisì quid incidat (quod tamen rarissimè contingit) fidei Orthodoxæ repugnans.

VIII.

IN locum Philosophiæ Thomisticæ, substituatur Ovidius Metamorphosiacus. Epist: 78. & 90.

Cur Lutherus optat substitui Ovidium Metamorphosiacũ?

AH Luthere! Satìs supérque multos ad venerea incitâsti! ab Angelica puritate servanda, etiam per votum firmata, multos retraxisti tuis sermonibus, & scriptis impuris: illis tuis (ùt innumera prætereail) Epicureis axiomatibus: *Si non vult uxor, veniat ancilla. Conjunctio Viri cum fæmina magìs est quid necessarium, quàm edere, bibere, somno, & excubiis intentum esse. Sinè Matrimonio vivere volens, penitùs cum Deo pugnat. Votum castitatis est impossibile, & impium, nullius momenti est &c.* Ad quod ultra addendo Ovidianas Metamorphoses, ignibus vetitis adjicis illicitos ignes? Ovidius scripsit libros 5. Tristium, Fastorum 6. de Ponto libros 4. Cur ergo Luthe-

Lutherus non vult in locum Philoſophiæ Thomiſticæ ſubſtitui ſaltèm libros enumeratos? Verùm quidni Luthero, amoribus illicitis æſtuanti (utì ipſemet de ſe ſcriptis Epiſt: 234. ad Melanthonem: *Carnis meæ indomitæ uror magnis ignibus: ferveo carne, libidine.* Et Epiſt: ad Michaëlem Stifel ſcripſit, quòd in confirmationem ſui quinti Evangelii, inceſtas, diviniſque ac humanis legibus vetitas contraxerit nuptias) arriderent Metamorphoſes Ovidianæ? Accedit, quòd Lutherus fecerit plurimas dolendas & admirandas metamorphoſes. An non ſtupenda Metamorphoſis? ſubitò fieri (ùt notat Bellarminus Tomo 1. Lib. 3. de Romano Pontifice cap: 23.) ex Sacerdote Laicum? ex paupere divitem; ex continente Maritum: ex Monacho Politicum: commutare pannoſam veſtem, in ſericeam; victum ſobrium ac tenuem, in Opiparas cœnas, & prandia; propter uxorem habendam & liberos, propter agros & nummos Chriſtum relinqui ab illo, qui antea propter Chriſtum, uxorem, liberos, agros, nummóſque contempſerat, & per vota ſe obſtrinxerat ad ſervandam perpetuò Caſtitatem & Paupertatem? Ipſe Lutherus de ſe ex fictitia ſua Pathmo ad Melanthonem Epiſt: 231. ſcribit: *Plura non habeo, cùm ſim Eremia, Anachoreta, veréque Monachus; ſed neque raſurâ, neque veſte. Equitem videres, ac ipſe vix agnoſceres.* Et ad Spalatinum, Epiſt: 229. *Ità ſum exutus veſtibus meis, & equeſtribus indutus, comam & barbam nutriens, ut tu me difficile noſſes, cùm ipſe me jam dudum non noverim.* Præterea, adeò Lutherus inconſtans ſcriptor & ſui immemor, ſibíque contrarius fuit, ut nullus à Condito Orbe, fuerit ei in hac inconſtantia ſimilis. Cùm ergo fuerit Metamorphoſiacus Lutherus, quid mirum? quòd ei adeò placuerit Ovidius Metamorphoſiacus.

Metamorphoſes Lutheri mirabiles.

IX.

QUi Philosophiam discere cupit; hic Ciceronem legat. In Colloq: tit: de Doctis.

Cicero nec comparari potest Aristoteli in Philosophicis.

IBidem dicit: *Cicero longè superat Aristotelem in Philosophia.* Nullus, aut ferè vix aliquis unquam ex rectè sentientibus, repertus est: qui auderet Ciceronem in Philosophicis etiam comparare Aristoteli, Et en Lutherus, eum Aristoteli etiam præferre ausus est? Quis unquam censuit comprehendi Philosophiam in libris Ciceronis? In quonam ejus Volumine continentur Quæstiones Philosophicæ, quas supra innui? Ubi tradit Cicero præcepta syllogisandi, sophismata dignoscendi? Ubinam tractat de Principiis intrinsecis, & extrinsecis Corporis naturalis, ejúsque Proprietatibus? In omnibus ejus Voluminibus, Vix decem Quæstiones Philosophicas discussas invenies. Rhetorem & Oratorem insignem, fuisse Ciceronem, non diffiteor; tradidisséque præcepta Artis Oratoriæ: verùm Philosophiam ab eo esse traditam, & quidem meliùs, quàm ab Aristotele; id prudenter asseri nequit. Nec Cicero senex, Filium suum, pro addiscenda Philosophia, direxit ad sua scripta legenda; sed ad Cratippum eum legavit, eo tempore, Peripateticorum Principem.

Cicero in pluribus graviter lapsus.

Accedit, quòd Cicero gravissimè erraverit in multis. Inter alia enim, *Dei Præscientiam* (ùt inquit S. Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 9.) *negat, & omnem Prophetiam luce clariorem, conatur evertere vanis argumentationibus. Multíque sunt tolerabiliores, qui vel siderea fata constituunt, quàm iste, qui tollit Præscientiam*

am futurorum: nam & Confiteri esse Deum, & negare Præscientiam futurorum, apertissima insania est -- atque ità, dum Cicero vult facere homines liberos, facit sacrilegos. Imò idem S. Doctor, loco supra citato, & alibi aliquoties Ciceronem reponit in Cathalogo Atheorum, tametsi ait, eum dissimulanter egisse; videndo quàm esset id invidiosum & molestum.

X.

PHilosophia, efficientem causam non novit; similiter nec finalem. In Disput: de Homine.

NOnne in Physica præter Causas secundas efficientes, docetur, & convictivè probatur, dari Causam Primam Efficientem: quæ non solùm, cum Causis secundis concurrat effectivè ad productionem rerum, sed etiam immediatè conservet omnes & singulas res productas? ídque ipsum agnovit Aristoteles, ùt supra ostensum est in Tractatu primo sub Propositione quinta & sexta. Nónne in Metaphysica, demonstratur Existentia Dei; qui est Causa Prima Efficiens? Nónne Philosophia Moralis, seu Ethica probat finem hominis objectivum, esse summum Bonum, quod est Deus, verámque felicitatem hominis consistere in cognitione ejusdem Boni, & possessione per Amorem?

Philosophi Causam Primam Efficientem & conservativam rerum omnium, itèm Finalem, demonstrant esse Deũ?

XI.

PHilosophia nescit aliquod infinitum in

in Potentia. In caput 10. Genesis Commentando.

Peripatetici docent quodlibet Continum esse in infinitum divisibile.

AN ignoras Luthere, ab Aristotele & Philosophis Peripateticis doceri, quodlibet continuum, tam successivum, quàm permanens, non componi ex partibus indivisibilibus, sed posse dividi in infinitum, in partes minores & minores, ità ut nunquam possit deveniri ad talem partem, quæ non sit absolutè ulteriùs divisibilis. Quomodo ergo audes asserere Philosophiam nescire aliquod infinitum in Potentia? Si verò per infinitum in Potentia intelligis infinitum in Essentia & omnimoda perfectione Essentiali; multò minùs non subsistit tua Assertio: Cùm & Aristoteles, & omnes Philosophi Christiani, agnoscant, & demonstrent, Deum existere esséque infinitum in Essentia, & omni penitus vera perfectione Essentiali.

XII.

PHilosophia, simpliciter plura infinita, dicit esse impossibilia. In caput 10. Genesis commentando.

INcreata plura infinita in essentia, seu plures Deos, rectè docet Philosophia, & demonstrat, esse impossibilia. Docent itèm communissimè Philosophi cum S. Thoma Q. 1. de Potentia. Artic: 2. ad 9. Et Q. 20. de Veritate Artic: 4. Non esse possibilem Creaturam infinitam secun-

secundùm Essentiam, seu quæ sit absolutè perfectissima, in omni genere. Probántque id ipsum multipliciter. Scilicet. Tum Auctoritate SS. Patrum, præcipuè S. Dionysii Areopagitæ, qui lib: de Divinis Nominibus Cap. 7. habet hæc: *Dicamus Deum infinitâ vi præditum, quódque possit etiam infinitè infinitas alias Potentias, præter eas, quæ sunt, in lucem proferre: nec unquam Potentiæ infinitæ, & infinitè prolatæ in lucem, effectricem ejus Potentiam, quæ omnem infinitatem superat, obscurare, & obruere possint.*

Creaturam absolutè perfectissimam non esse possibilem, probatur.

Tum quia videtur esse perfectio simpliciter simplex ut semper possit Omnipotentia Dei à pluribus esse participabilis sinè fine: Eò enim perfectior concipitur Omnipotentia Dei, quò perfectior concipitur ipsius communicabilitas; hæc autem eò perfectior concipitur, quò magìs concipitur inexhauribilis. Tum quia Omnipotentia, est omnium potentiarum, excogitabilium extra ipsam, perfectissima: communicabilitas autem finita in infinitum, est major, quàm communicabilitas tantùm finita: Sed admissâ Creaturâ perfectissimâ, Omnipotentia non diceret communicabilitatem in infinitum. Ergo &c. Tum quia, ùt ait S. Thomas: Quælibet creatura infinitè distat à perfectione Divina: ergo potest dari semper alia & alia magìs accedens: Tum quia nulla est in hoc implicantia, quò minùs Deus, quantumcunque perfectâ datâ creaturâ, non possit adhuc perfectiorem absolutè creare sinè fine. Tum quia nulla est necessitas & fundamentum, coarctandi Omnipotentiam, ad certos non nisi gradus perfectionis producendæ finitæ, seu limitatæ, quia creatæ. Ergo implicat Creatura absolutè perfectissima. Accedit, quòd sicut Materia prima, propter summam suam potentialitatem, est finitè in infinitum divisibilis, & sic eti-

am multiplicabilis in partes minores & minores sinè fine : atque etiam figurabilis per figuras infinitas; Ità etiam Deus, propter suam summam Actualitatem, cùm sit purus Actus, & quia continet infinita Entia in sua Actualitate, sicut Materia infinitas partes, in sua potentialitate, erit multiplicabilis in infinitum, per participationem sui, à diversis & diversis speciebus.

His tamen non obstantibus, Conceditur ab omnibus ferè Classicis Philosophis, non solùm esse possibilia, sed defacto dari in Creatis innumera infinita Syncategorematica. A plerisque etiam Magni Nominis Philosophis admittitur, possibilia etiam esse infinita Categorematica in multitudine, non solùm Entium Spiritualium, Verbi gratia, Angelorum, Animarum rationalium, Cognitionum, sed etiam Entium materilium. Itèm possibile esse infinitum multiplex, in Intensione, & Extensione. Et S. Thomas ait: *Principiis ab Aristotele positis, non repugnat infinitum in substantiis immaterialibus.* Vide etiam dicta, suprà in Tractatu primo sub Propositione tertia.

XIII.

CONtra omnem Philosophiam sunt Articuli Fidei. Tomo secundo Lat: Colloq: tit: de Adversariis.

Articulus de Existentia DEI &

S. Paulus dicit ad Hæbreos 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, Remunerator sit.* Credimus itèm Animam humanam, esse immortalem; Angelos dari.

dari. Hi Articuli fidei, contra quamnam partem Philoſophiæ ſunt? Utique Metaphyſica, probat Deum exiſtere? ejus Unitatem demonſtrat, itèm Attributa ipſius; ùt Omnipotentiam, Omniſcientiam, Miſericordiam, Juſtitiam, Æternitatem, Immenſitatem: probat itèm Philoſophia Animam humanam eſſe immortalem, daríque Intelligentias, ſeu Angelos. Cuinam Principio Philoſophico repugnat Articulus Fidei de exiſtentia inferni? de Numero ſeptenario Sacramentorum, Invocatione Sanctorum, cum Deo regnantium? &c, Sunt quidem aliqui Articuli Fidei, ùt de Myſterio SS. Trinitatis, Incarnationis, ſuprà aliqua Principia Philoſophiæ; ſed non contra. Unde & S. Auguſtinus lib. 22. de Civit: DEI cap: ſeptimo dicit: *Perſvadebatur Veritas nova conſvetudini, ſed non Contraria rationi.* Vide plura, in Defenſione Theologiæ Scholaſticæ in Tractatu ſecundo, ubi etiam deduxi eſſe Lutheri Propoſitiones erroneas has: *Nulla forma ſyllogiſtica, tenet in terminis divinis. Ex vero ſequitur falſum: verum vero non conſonat. Si forma Syllogiſtica tenet in divinis, Articulus Trinitatis, erit ſcitus, & non creditus.*

Angelorum: de immortalitate Animæ, imò & alii omnes Articuli fidei non repugnant Principiis Philoſophicis.

XIV.

Aliquid eſt verum in una parte Philoſophiæ, quod tamen falſum eſt, in alia parte Philoſophiæ. Theſi 35. in Diſputatione de Propoſitione hac. *Verbum Caro factum eſt.*

Ediſſe-

Quod est verum in una parte Philosophiæ, est & in altera verum.

EDissere, quod nam illud Aliquid: certè Præcepta Dialecticæ, de definitionibus & Syllogismis rectè formandis, in nulla parte Philosophiæ falsa sunt. In Physica itèm verum est, dari Materiam primam, eámque esse ingenerabilem, & incorruptabilem strictè: formas substantiales dari: Naturam esse Principium motûs & quietis. Nihil se posse producere efficienter, saltèm quò ad primum esse. Causas secundas efficientes dari &c. In Metaphysica docetur, Deum & Angelos existere: Attributa Entis esse Unum, Bonum Verum &c. Hæc & similia in quanam alia Parte Philosophiæ, falsitatis convincuntur? Sed respondet Lutherus Thesi 36. En, *Humor humectat; est veritas in Sphæra aëris, sed manifesta hæresis, in Sphæra ignis.* Respondetur, Quidquid sit, an Sphæra ignis detur sub Concavo Lunæ (quod cum pluribus negavi olim in Philosophia: cùm nulla ejus sit necessitas: nec ullum fundamentum grave id asserendi) supponamus tamen eum interim dari: Quæro cur dolium aquæ eò delatum, & effusum in corpus sibi subjectum, illud non humectaret? utique aqua illa non cresceret in glaciem?

XV.

SOrbona, Mater errorum, pessimè definivit, idem esse Verum in Philosophia & Theologia. Ibidem. Thesis 4.

CElebris, & Sapientissima Parisiensis Theologorum Schola, fundata anno 1253. à Roberto Sorbona Theologo, cur tibi Luthere, est Mater errorum? Utique adhuc Anno 1518.

in tua

in tua Appellatione à Cardinali Cajetano ad Papam, verba hæc etiam (exſtant Tomo primo Operum Lutheri Viteb: circa folium 218.) apponi feciſti: *Paratus ſum omnia mea ſubjicere, inprimis judicio Sanctæ Eccleſiæ Romanæ: deinde Illuſtribus ſtudiis, Baſilenſi, Friburgenſi, Lovanienſi: ac ſi opus eſſet, etiam antiquæ illi ſtudiorum Parenti, & in Theologicis rebus uti florentiſſimæ, ità zeloſiſſimæ Univerſitati Pariſienſi.* At quia tuas hæreticas Propoſitiones damnavit hæc Univerſitas Pariſienſis, jam tibi nunc Mater eſt errorum? Optimè & Sapientiſſimè definivit: *Idem eſſe verum in Philoſophia, & Theologia*; & non tantùm id Sorbona Sapientiſſimè definivit; ſed & Concilium Lateranenſe ſub Julio II. & Leone X. Seſſione octava. Hócque ipſum, ùt omnino indubitatum ante aſſeruit S. Thomas Lib: primo contra Gentes cap. 7. cum innumeris aliis Doctiſſimis: imò nullus unquam inventus eſt ex verè ſapientibus, qui contrarium ſentiret. Nam ſicut lapis, ubicunque ponitur, eſt lapis; & coloratum, ubicunque ponitur, eſt coloratum: ità & verum, eſt verum, ubicunque collocetur, ſive in Theologia, ſive in Philoſophia. Aliàs pari ratione dici poſſet: Petrum, dum ſtudet Philoſophiæ, eſſe ſubſtantialiter hominem; dum ſtudet Theologiæ, non eſſe ſubſtantialiter hominem; ſed eſſe Leonem, vel Angelum.

Quantum antea depradicabat Lutherus Sorbonam.

COROLLARIUM.

PRo Coronide hujus Tractatus ſecundi, Eruditionis gratià cum pluribus.

Quinam inſurgunt contra Philoſophiam?

NOta primò. Adversùs Philoſophicas ſcientias, duo hominum genera inſurgere conſvevêre: Idiotarum ſcilicet, & hæ-

& hæreticorum. Primi, eo fine id faciunt; quia cùm sint sublimioris scientiæ expertes, omnes, sui similes esse cuperent, quò minùs, in multitudine, ipsorum appareret inscitia: hi faciendi sunt, ùt cæci de coloribus judicantes. Secundi verò, ideo insurgunt: Tum ut faciliùs homines indocti ac simplices, Argumentis ipsorum ad speciem probabilibus, captiosisque circumventi, in eorum errores protrahantur. Tum quia Hæreses præcipuæ, non aliter vigent, ac Animantes: sicut hæc in cerebro: sic illæ, in ratione, suos errores infixos habent. Qua non enervatâ, debilitari possunt, excidi non possunt: enervari autem ratio non potest, nisi à doctis; quare hæretici oblocutores, pro Phreneticis habendi, qui Medico & medicinæ validissimè obluctantur.

Philosophiæ necessitas. Nota secundo, Philosophiam esse homini necessariam, etiam ùt homo est: id est, ad perficiendam ipsam Naturam humanam. Tum quia Sapientiæ 7. Spiritus Sanctus, Sapientiam omnibus hominis bonis præfert, non solùm divinam illam, quæ docet timorem Dei, & Sanctitatem vitæ; sed etiam illam Naturalem, quæ scit versutias sermonum & dissolutiones Argumentorum, dispositionem Orbis terrarum, & virtutes Elementorum, stellarum dispositiones. Plato etiam, Philosophiam, vocat, pulcherrimum Deorum munus. Cicero, nullum (inquit) bonum Philosophiâ optabilius, & præstantius, Deorum concessu, Mortalium generi datum est, neque dandum unquam. Aristoteles 9. libro Ethicorum affirmat, Philosophiam tanti esse; ut his à quibus eam accepimus, nec honorem, nec mercedem ullam dignam referre possimus; non secùs, ac Diis, & Parentibus. Tum quia Philosophia est Contemplatio Operum

perum Dei excolítque Intellectum, illuminando circa Veritates naturales: Moralis autem Philoſophia Voluntatem dirigit, circa agibilia. Tum quia neceſſarium eſt, ut Rex cognoſcat Regnum ſuum; Paterfamilias, ſua prædia: Civis, ſuam Patriam. Sed homo eſt Mundi Dominus, & Civis hujus vaſtiſſimæ Patriæ. Ergo neceſſe eſt, ut homo cognoſcat ea, quæ mundi ſunt. Hoc autem ordinariè fit ope Philoſophiæ.

Quotnam, Argumẽtorum principia Theologis & Philoſophis?

Nota tertiò, Philoſophis eſſe pauciora Principia Argumentorum, quibus utuntur ad ſuas Concluſiones probandas, quàm Theologis. His enim, ùt enumerat P. Eſparza, Romanus Inſignis Theologus, ſunt ſeptem. Primò, Sacra Scriptura. Secundò, Traditiones Apoſtolicæ, ſeu Verbum Dei non ſcriptum. Tertiò, Definitiones Summorum Pontificum, docentium ex Cathedra. Quartò, definitiones Conciliorum Oecumenicorum. Quintò, Doctorum Eccleſiaſticorum Conſenſus. Sextò, Communis Fidelium ſenſus. Septimò, Veritas naturaliter certa. Philoſophi verò Chriſtiani, licèt quandoque ad ſuas Concluſiones probandas, utantur etiam prædictis Principiis, ordinariè tamen ſolùm aſſumunt, vel Veritatem naturaliter certam, vel ſaltèm probabiliorem.

Quænam diviſio Philoſophiæ?

Nota quartò, ſicut in Regno politico datur diviſio in Provincias, Palatinatus, Diſtrictus: & in Exercitu, datur diviſio in Legiones, Vexilla, Centurias; ità & in Regno Sapientiæ, debuit dari aliqua Diviſio ſcientiarum Naturalium: Hac enim non poſita, quoddam chaos confuſum foret Scientia. Unanimi ergo ferè Conſenſu, præſertim Recentiorum, dividitur Philoſophia, quintupliciter. Primò enim Philoſophia eſt Rationalis, ſive Logica. Secundò Naturalis, ſeu Phyſica. Tertiò Metaphyſica, ſeu ſupernaturalis; ſic dicta:

vel quia post Physicam, seu ultra Physicam est constituta: vel quia res, de quibus tractat, dicuntur esse post Physica, seu Naturalia Entia: eorum Ordinem enim superant, & in altiori gradu constitutæ sunt. Quartò est Mathematica. Quintò Ethica

Unde ultimatò provenit illa divisio?

Nota quintò Hæc Divisio Scientiarum, licèt sit fundata, in Natura rerum; ultimò tamen completa est per prudens placitum Philosophorum Veterum. Ratio est. Quia sinè ullo inconvenienti, ipsa Physica poterat absolutè in plures scientias totales dividi: Cur enim non potuit esse specialis scientia de Cælo, & Mundo? Confirmatur. Quid Theologia dividatur in Positivam, Polemicam, seu Controversam, Scholasticam, & Moralem, Provenit id ex placito summorum Theologorum. Ergo etiam, quòd Philosophia dividatur in quinque Scientias totales, provenit ex placito Veterum Philosophorum. Illustratur. Sicut divisio Regni in Provincias & Palatinatus, etiamsi sit facta convenienter ad naturam rei, accommodando se diversis moribus, linguis Incolarum, dispositioni locorum: ultimò tamen completa est per placitum; ità & præfata divisio, completa est per placitum Sapientum.

TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

Lutheri Propositiones, quæ opponuntur Philosophiæ Peripateticæ in particulari, enervantur.

I.

Dialectica, est noxia vero Theologo. Tomo 1. Epistolarum Lat: Epist: 54.

PRopositionem hanc evertit ipsemet Lutherus, dum in Colloquiis Mensalibus, titulo de Scholis, dicit: *Dialectica maximè est necessaria, in Ecclesia.* Et Tom: 2. Epist: Lat: Epistola ad Lincum. *Neque doceri aut disputari potest absque Dialectica. Ego vaniloquos istos homines, id est Zvinglium, & Sacramentarios, statui relinquere, quòd videam tantam Logicæ ignorantiam in illis regnare, ut impossibile sit, eos posse doceri.* Evertit & Melanthon, scribendo. Tom. 3. Declamat: Melanth: in Oratione de Aristotele: *Constare arbitror inter omnes, maximè nobis in Ecclesia opus esse Dialecticâ. Evertit & Andreas Smidelinus, Lutheranorum Antesignanus.* Cùm enim Beza, in Colloquio Mompelgartensi ei dixisset sæpiùs: *Hoc est concionari, non disputare: non ignoras, quamvìs aliud sit esse Logicum, & aliud esse Theologum, tamen*

Lutherus ipsemet Thesim hanc evertit, aliique Novatores.

tamen etiam in Theologia λόγον *habere locum: modò principia & Confirmationes ex Theologia Sacra petantur: peto ut Syllogisticè agatur: Sic enim utrique argumenta rectiùs percipiemus, & faciliùs respondere licebit.* Reſpondit Smidelinus: *Placet, ut Syllogisticè agamus: ſic enim citiùs nos ipſos expediemus; & collatio ipſa, Auditoribus minùs ingrata erit.* Et Vitackerus primarius Miniſter Calvinianus Anglus, in libro contra Bellarminum in Præfat: præſcribens modum diſputandi cum Pontificiis, ante omnia requirit; *ut quidquid dicitur, ad Syllogiſmi regulas revocetur: ſic enim* (inquit) *nihil verendum eſt, nè fucata loquacitas, plus, quàm ſimplex & nuda veritas, valeat.*

Chriſtus Dominus, & S. Paulus uſi Dialecticâ.

Nónne ipſe Chriſtus Dominus, ſummus Theologus, Dialecticè cum Adverſariis egit? ùt probat S. Auguſtinus lib. 1. capite 17. contra Creſconium Donatiſtam: qui etiam Dialecticam, & Auguſtinum, tanquam Dialecticum, criminabatur? Nónne S. Paulus, Doctor Gentium, teſte eodem Sancto Auguſtino, fuit Dialecticus? *Stoici* (inquit) *maximi Dialectici fuerunt.* Cur *Apoſtolus Paulus, nè conferrent cum illo, non eos cautiſſimè devitavit? & veſtros Epiſcopos laudas* (alloquitur Creſconium) *quòd nobiſcum, velut cum Dialecticis nolint habere ſermonem? aut ſi Paulus Dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non ſolùm acutè diſputabat, ſicut & illi: Sed etiam veraciter, quod non illi: jam cave, ne cuiquam Dialecticam, pro crimine objeceris, quâ uſos Apoſtolos confiteris. Neque enim cum hoc mihi objicis, imperitiâ te falli puto, ſed fallere aſtutiâ.* Hæc S. Auguſtinus lib: 1. contra Creſconium cap. 14.

Dialecticæ quod Officium?

Cur debeat eſſe noxia Dialectica Theologo? cum ſit Officium illius, modum definiendi, dividendi, præcipuè verò, argumentandi, ſeu argumentationes rectas faciendi tradere unde Dialectica, Latinis dicitur, Facultas diſputandi, diſſe-

differendi? Cur noxia, quâ Usus Christus Dominus, Apostoli, & Doctores Ecclesiæ? Sed datô, non concessô, ea prædictos non fuisse usos: non sequitur, nos eâ non debere uti. Quia Christo Domino inerat summa rerum omnium Scientia, & Eloquentia methodicè differendi: idem suo modo de Apostolis dicendum & de Sanctis Patribus, quorum ore ipse Christus loquebatur: Utique scripsit S. Paulus: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* 1. Corinth: 13.

Propter abusum Dialecticæ, non rejicienda ipsamet Dialectica?

Nec ob novitatem (si aliqua est) debet rejici modus Dialecticè, id est methodicè, præcisè, atque constrictè, præclusis omnibus ambagibus differendi: aliàs deberent rejici pariter, modi imprimendi libros, horas denotandi, bellandi & alia innumera, & utilissima. Usi quidem sunt Dialecticà & Syllogismis ad sua stabilienda dogmata impia, multi Hæresiarchæ; ùt Apelles, Theodotus, Actius, Eunomius, & alii, ùt testatur Tertullianus de Præscript. cap 51. Eusebius lib: 5. cap. ult: S. Epiphanius, Nyssenus. Quid tum? num ideo noxia Dialectica vero Theologo? Utique ùt tritum fert proverbium, quo sæpe utitur Lutherus: *Propter abusum, non est tollendus usus rei.* *Neque* (ùt ait S. Augustinus lib: 1. contra Crescon: cap: 1.) *propterea pro Patria miles non est armandus, quia contra Patriam, arma nonnulli sumpserunt. Nec ideo cibi damnantur, quia operosiùs exquisiti in gulam committunt.* ùt dicit Tertullianus lib. 1. contra Marcionem. Et longè ante hos scripsit Poëta Lib: 2. Tristium.

Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Cœperit, audaces instruit igne manus.

II.

II.

LOgica, est garrulitatis garrulosissima Magistra: & contra silentium introducta est à Diabolo in Monasteria: Tomo primo in Explicatione quinti Præcepti.

Dictæ Thesis subversor ipsemet Lutherus.

COnvellit hanc suam Propositionem ipsemet Lutherus, dicit enim. In Colloq: Mens: titulo de Scholis & Universitatitatibus *Dialectica* (quæ utique est Compendium Logicæ?) *est, quando res distinctè & clarè, & brevibus verbis proponitur. Præcipuus fructus Dialecticæ est, rem breviter & propriè definire.*

Logica subsistere potest sine vocibus externis.

Logica, per se loquendo, adeò non est garrula, ut nè voces quidem externas, pro objecto immediato, materiali habeat, optiméque subsistere possit sinè illis: contenta operationibus internis intellectûs, à se dirigibilibus: Surdúsque & mutus, manibúsque insimul ad scribendum destitutus, possit esse perfectus Logicus: utpote potens facere perfectas definitiones, Divisiones, Syllogismos: Syllogismus autem vocalis non est propriè rectus logicè, sed tantùm est signum & indicium Syllogismi, propriè talis, scilicet mentalis. Quod dictum de Syllogismo, idem dicendum de Definitione, Divisione: hæc enim propriè consistunt in cognitionibus, non in vocibus.

Novatores plerumque garruli.

Hoc certum primò. Quòd Lutherus & ejus Asseclæ, (ùt notavit cum aliis Bellarminus) in proferendis & scribendis mendaciis, contradictionibus, scommatibus, maledictis,

ctis, conviciis adeo garruli fuerint, & sint: ut si hæc ex eorum maximis quandoque Voluminibus, tollerentur, vix libelli perexigui effici possent: Scripseritque non malè Conradus Gesnerus Lutheranus in Universali sua Bibliotheca de Luthero: *Illud non est dissimulandum, Virum esse Lutherum vehementis ingenii, impatientem, & qui nisì per omnia sibi consentientes, ferre nesciat-- Dominus faxit, nè contentione & impudentiâ oris sui, Lutherus obsit Ecclesiæ.*

Certum secundo. Quòd Hæresum Auctor & Magister sit primariò Diabolus. Unde S. Ignatius Martyr in Epistola ad Tralkianum ait: *Fugite Hæreses, Diaboli enim sunt adinventio; fugite & malas soboles ejus, Simonem, Menandrum, Basilidem, Ebionitas, Nicolaitas.* Et S. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ. *Diabolus Hæreses invenit, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet.* Itèm S. Athanasius. *Diabolus ad hæreses excitat per speciem veritatis.* Constátque longa inductione (ùt ostendi in Admirandis Zvinglii) Hæresiarchas, à Dæmone sua Dogmata accepisse. Quod ipsum de Carolstadio, Oecolampadio, de Anabaptistis testatur ipse Lutherus: imò ex ipsa Confessione Lutheri lib: de Missa privata, & Unctione Sacerdotum, quæ habetur Tom: 7. ejus Operum, sufficienter colligitur, Magistrum Lutheri, præcipuè in abroganda Missa, & tot contra eam blasphemiis conscribendis, fuisse Dæmonem. Vide dicta in Defensione Thelogiæ Scholasticæ in Tractatu 5. sub Thesi 10. *Hæreses, à Dæmonē in Orbem introductæ.*

Nota, Posse fieri per accidens Logicos esse garrulos: & id solet provenire ex eo, quia initiò Philosophiæ, cùm adhuc non penètrent bene difficultates Philosophicas, putentque omnes Theses suas esse demonstrationes, & se illas omnimode scire, fit, ut se credant esse multùm doctos, cu- *Logici per Accidens quandoque garruti.*

piántque ea, quæ jam aliquomodo sciunt, discurrendo de rebus variis, manifestare. *Ad pauca* enim *respicientes, facilè enuntiant.* ùt dicit Aristoteles. Hinc Menedemus apud Plutarchum de profectu ait: *Qui Athenas ventitant, principiò videntur sibi Sapientes; at cùm Orbem Scientiarum decurrerunt, omniáque consummârunt, dubitare quidem de multis possunt, parùm autem, aut nihil se scire autumant.* Et noster Cornelius à Lapide in cap. 7. Ecclesiastæ: *Studiosi* (inquit) *Theologiæ* (vel Philosophiæ) *initiò, ùt principia ejus intelligunt, videntur sibi multa scire, & valde esse sapientes: at ubi pergunt fiúntque Professores, vidéntque ubique difficultates: cernunt se plura ignorare, quàm scire.* Unde & dictum illud promanavit: Logici omnia sciunt, Physici parùm; Metaphysici nihil. Constátque longâ experientiâ, homines solidè doctos, solere taciturnitatis & brevitatis in dicendo esse studiosissimos.

III.

EGo (inquit Lutherus) si jam Dialecticam conscribere deberem, tunc hæc Verba; Propositio, Syllogismus, Enthymema, Exemplum, rejicerem, quia sunt aliena, & Græca. In Colloqu. Mens: titulo de Artibus.

ERgo etiam rejicienda, utpote græca, hæc verba. Theologia, Philosophia, Dialectica, Logica, Physica, Metaphysica, Mathematica, Rhetorica, Poëtica, Syntaxis, Grammati-

matica, & alia innumera apud Latinos jam tritissima. An Actu rejecerit Lutherus in Dialectica verba præfata, non constat. Hoc certum & impium, quod ex Litaniis, id est, Ecclesiæ publicis & usitatis precibus, rejecerit precationem illam: *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.* Et ex prima Epistola S. Joannis cap. 5. expunxerit Textum illum: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres unum sunt.* Et ex 2. Petri 1. *Magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.* ademerit ly *per bona opera.* Similésque expunctiones & depravationes Scripturæ Sacræ, plurimis in locis fecerit. Imò è Canone Scripturæ Sacræ integros libros, multásque Apostolorum Epistolas ejecerit. Certum itèm & impium, quòd ex Textu Symboli Apostolorum illo: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam,* ly *Catholicam* ejecerit: non quia est vox græca, sed quia est Nota veræ Ecclesiæ, arguens falsitatis etiam Lutheranismum. Idcirco enim in Symbolo dicimus (inquit S. Augustinus Tomo 10. serm: 131. & alibi) *Credo unam Ecclesiam Catholicam, id est toto Orbe diffusam: quia diversorum Hæreticorum Ecclesiæ, ideo Catholicæ non dicuntur, eò quòd per loca & per suas quæque Provincias continentur: hæc verò ab Ortu Solis usque ad Occasum, unius fidei splendore diffunditur.* Et Contra Epistolam fundamenti. cap. 4. *Quærenti Peregrino alicui, ubi ad Catholicam Ecclesiam conveniatur: nullus hæreticorum, vel Basilicam suam, vel Domum, audet ostendere.*

Lutherus quænam ex Litaniis, Scripturáque Sacra, ac Symbolo, rejecit?

IV.

UNiversalia non definiuntur, quia non

 sunt

ſunt realia: ſpecies verò & individua definiuntur. In Colloq. menſ: tit: de Artibus.

Quanta Lutheri Inſcitia?

APparet, à bene poto Luthero inter menſalia balbutiente lingua, hanc Propoſitionem prolatam eſſe. Quis enim Philoſophorum ignorat, quòd ſubſtantia ùt ſic, Corpus, Vivens, Animal, Accidens, Quantitas, &c. definiantur, & ſint Univerſalia? Scientiæ itèm totales habent objecta Univerſalia, eorúmque natura explicatur, ergo definiuntur. Cùm definitio ſit explicatio Naturæ rei.

Univerſalia ſaltèm *fundamentaliter* ſpectata, ſunt Entia realia: nihil enim aliud eſt *Animal fundamentaliter*, nisì omnia Animalia à parte rei exiſtentia, & poſſibilia: quæ utique non ſunt quid fictitium? Spectatum autem *Animal formaliter*: in Sententia communi, ſunt eadem Animalia, ùt cognita confusè per ordinem ad ſenſationes. Cur nihil poteſt definiri, nisì ſit formaliter reale? Species ſi definiuntur, ùt concedit Lutherus. Ergo Univerſalia ſaltèm aliqua definiuntur: Species enim, ùt Leo ùt ſic, bos ùt ſic, Aquila ùt ſic, homo ùt ſic, ſunt Univerſalia.

V.

BOnum erat Eccleſiæ, ſi Theologis Porphyrius natus non fuiſſet cum Univerſalibus ſuis. Theſis 59. Exſtat in Diſputatione Vitebergæ habita. Anno 1517. Tomo I.

Ex uni-

EX universalibus Porphyrii, quænam mala emanârunt in Theologiam & Ecclesiam? Nulla. Ex Lutheri autem doctrina, repullulàrunt antiquæ damnatæ Hæreses: exundàrunt scelera, ùt ostendi in Admirandis Lutheri in Tractatu primo & tertio: & aliquid etiam hìc innui in Tractatu primo, sub Propositione nona. *Oportet* quidem *& Hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant. 1.* Corinth: 11. tempore enim hæreseos & Schismatis manifestatur, quinam in fide & pietate bene solidati sint. Væ tamen Luthero (Zvinglio, Calvino &c.) per quos hæreses factæ sunt. Bonum erat Ecclesiæ, multò autem magìs bonum erat illis, si cum suis erroneis Dogmatibus exorti non fuisset?

Quis fuerit Porphyrius?

Nota 1. Porphyrius, natione Phœnix, Tyrius Patria, sive (ùt quidam cum *Baronio* Tomo 2. Annat: affirmant) natione Judæus, Batanææ, quæ est in Judæa Civitas, natus: vocabatur antea Malchus, postea ob vestem purpuream, quà utebatur, dictus Porphyrius. Religione primò fuit Christianus, sed quia ùt refert Nicephorus lib. 10. cap. 36. à Christianis quibusdam Cæsareæ verberatus fuerat, eam injuriam ægerrimè ferens, eorum qui plagis eum affecerant, odiô, Christianismum abjuravit: contràque fidem Christianam libros impios quindecem scripsit triginta libris Catholicorum, præcipuè Origenis (cujus quondam erat Condiscipulus sub Præceptore Plotino) & Eusebii Pamphili Martyris, confutatus. Ille rogatu Chrysnorii Romani Patritii, sui inter alios Discipuli in Philosophicis, edidit Tractatum de Universalibus, dictum Isagoge, seu Introductionem ad Prædicamenta Aristotelis: Arborem itèm seu Prædicamentum substantiæ, ipse coordinavit, quæ dicitur, Arbor Porphyriana.

Lutherus in quo imitator Porphyrii?

Nota secundò. Quòd Lutherus in multis Porphyrio similis fuerit: uterque enim à recta fide, Apostata: uterque plurima impia scripsit contra Ecclesiam Christi: uterque gravibus conviciis proscidit libros Scripturæ Sacræ, & Patres Ecclesiæ: uterque maledicentissimus fuit in Imperatores Catholicos. Porphyrius quidem in Constantinum Magnum, & Constantium ejus Filium: Lutherus in Carolum quintum & Ferdinandum Imperatores, aliósque Principes Orthodoxos. ùt demonstravi in Admirandis Lutheri.

VI.

TOtum illud Commentum Arboris Porphyrianæ, minùs quàm anile figmentum est, aut somnium ægrotantium. Epist. 54.

Rationes quibus Lutherus Thesim suam probat, exploduntur.

HUjus sui Asserti dat rationes has. prima. Quòd Corpus in Arbore Porphyriana significat rem constantem materiâ & Formâ: ast tale Corpus non potest homini contingere, cùm in scriptura Corpus nostrum, solam materiam significet, non etiam Formam, ùt ibi: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.* Secunda. Quòd nullus usus sit Scripturæ, hominem vocari sensitivum, rationalem, Corporeum, animatum. Respondetur: Allatas rationes nullius esse momenti. Tum quia aliàs pariter, non esset asserendum, dari Materiam & Formam: nam prædictæ voces in Scriptura significant aliquid aliud, quàm apud Philosophos: essetque figmentum anile, asserere homi-

hominem conſtare corpore & anima Spirituali, immortali, indiviſibili: quia nullus uſus eſt Scripturæ, animam expreſsè vocari ſub terminis his, immortalem, Spiritualem, & indiviſibilem. Somnium itèm ægrotantium foret dicere, Deum eſſe unum in Eſſentia, & Trinum in Perſonis: unam eſſe Perſonam, & quidem Divinam in Chriſto Domino: dari Unionem Hypoſtaticam inter Naturam humanam & Perſonam Verbi; & alia innumera: cùm nullus ſit uſus expreſſus in Scriptura prædictarum vocum; Tum quia ſæpe etiam in Scriptura ſumitur vox *Corpus*, pro Compoſito ex Materia & Forma, ùt 1. Corinth: 15. v. 40. *Corpora Cæleſtia & Corpora terreſtria.* Inter quæ terreſtria Corpora nónne & homo eſt? Et 1. Corinth. 11. *Hoc eſt Corpus meum. Reus erit Corporis & Sanguinis Domini: non dijudicans Corpus Domini.* & alibi. Itèm hominem eſſe ſenſitivum, rationalem; eſt poſſe producere ſenſationes, ratiocinationes: Scriptura autem ſæpè aſſerit, hominem ſentire, videre, audire, guſtare &c. unum ex alio inferre: jubétque quærere & inquirere Deum, cæleſtia, & pacem. Dicit itèm Scriptura, hominem *eſſe factum in animam viventem.* Ergo dicit animatum eſſe. Dicit: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Ergo eſſe Corporeum. Accedit. Oſtendat Lutherus in Scriptura, ubi negetur, hominem eſſe ſenſitivum, rationalem, Corporeum, animatum.

Doctrina Lutheri potiùs figmentum eſt.

Non commentum Arboris Porphyrianæ minùs, quàm anile figmentum eſt, ſed ejuſmodi eſt, Doctrina Lutheri aſſerentis Eccleſiam Chriſti veram toto Orbe terrarum totis ſupra decem retroactis ſæculis periiſſe: cùm tamen expreſſè dixerit Chriſtus. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs Eccleſiam. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Somnium

nium ægrotantium aut veriùs delirantium est, dicere, Missam esse summam abominationem, & idololatriam: Sacrilegósque & Idololatras fuisse Sanctitate & miraculorum gloriâ conspicuos, Gregorium Magnum, Bernardum, Stanislaum, &c, primò longè ante illos, Sanctos Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Augustinum, Ambrosium, hos enim certò constat celebrâsse Missas. Portentosum Commentum est, à Deo censeri electum esse ad reformationem suæ Sanctæ Ecclesiæ Lutherum, hominem votifragum, libidinosum, summè ambitiosum, inconstantissimum in dictis, scriptis, factis, & maledicentissimum.

De qualibus Entibus procedit Coordinatio Porphyriana?

Nota. Coordinationem Prædicatorum in Arbore Porphyriana contentam, procedere de Entibus solùm creatis, sub sensum cadentibus: aliàs ab inferioribus prædicatis non valeret Consequentia ad superius prædicatum: Deus enim est Ens Vivens, Angeli etiam sunt Entia viventia, non sunt tamen Corpus.

VII.

PRædicamenta nocent Theologiæ. Ibidem Epist: 54.

Prædicamenta quot & quænam eorum natura?

PRædicamentum, est certa Coordinatio terminorum, à supremo aliquo genere per subalterna genera, usque ad Speciem infimam & individua descendentium, quasi per Scalæ gradus: suntque juxta Aristotelem, quem sequuntur omnes ferè Philosophi cùm S. Thoma 3. Physic: lect: 5. Prædicamenta decem divisiva Entis realis.

Pri-

Primò. Subſtantia, quæ eſt Ens per ſe ſtans, (quod ipſum explicari ſolet: Eſt Ens, non ordinatum ultimatò ad aliquid creatum realiter adæquatè à ſe diſtinctum) & ſuſtentans alia extra ſe, ſcilicet Accidentia. Sic Animal ſuſtentat ſenſationes, vegetationes: lapis ſuſtentat quantitatem, colorem, duritiem &c.

Secundò. Quantitas, quæ eſt ratio, vi cujus dicitur aliquid extenſum.

Tertiò. Qualitas, vi cujus dicitur aliquid quale: ùt albedo, nigredo.

Quartò. Relatio, vi cujus unum refertur ad aliud: ùt Paternitas, vi cujus Joannes Pater refertur ad Filium Jacobum.

Quintò. Actio, eſt ratio, vi cujus aliquid fit.

Sextò. Paſſio, eſt ratio vi cujus aliquid recipitur.

Septimò. Ubi, ſeu Ubicatio, eſt ratio, vi cujus aliquid eſt in loco.

Octavò. Situs, eſt ratio, vi cujus aliquid reſpicit ſpatium taliter vel taliter: ùt ſedens, ſtans.

Nonò. Quando, eſt ratio, vi cujus aliquid eſt in tempore.

Decimò. Habitus, eſt ratio reſpiciens aliud Corpus tanquam ornamentum: ùt veſtitus, armatus.

Vocantur autem hæc Prædicamenta: quia prædicantur de ſuis Inferioribus, & quia ſingula poſſunt novam Prædicationum Cathegoriam conſtituere, ad eum ferè modum, ſicut in Prædicamento ſubſtantiæ, in Arbore Porphyriana habetur, in qua ponitur in ſupremo gradu, Subſtantia, poſt infrà, Corpus, poſtea Vivens, Animal, Homo, poſt individua hominis, ùt Petrus, Paulus &c.

Non nocent Theologiæ. Ediſſere Luthere, quidnam enumerata Prædicamenta noceant Theologiæ. Scio quidem aliquibus Recentioribus Philoſophis non adeò placere prædictam Coordinationem Prædicamentorum. Tum quia non omnia ex enumeratis diſtinguuntur inter ſe realiter; ſcilicet, Actio & Paſſio. Tum quia Ens, videtur illis priùs dividendum fuiſſe in Ens à ſe, & Ens ab alio. Tum quia cenſent, potuiſſe conſtitui tantùm tria Prædicamenta: ut ſcilicet, Primum eſſet ſubſtantia: ſecundum, Accidens abſolutum: tertium, Accidens modale. Quas rationes aliis relinquo diſcutiendas. Nullus tamen unquam Theologorum Orthodoxorum vel Philoſophorum cenſuit Prædicamenta nocere Theologiæ.

VIII.

PHyſica Ariſtotelis eſt prorſus inutilis Materia omni penitùs ætati. Epiſt. 100.

Melanthon ſubvertit Theſim hanc Lutheri, & meritò. MElanthon verò tuus, contrarium tibi Luthere ſentit. ſcripſit enim in Oratione de Ariſtotele. *In Phyſica, Ariſtoteles artificiosè deducit nos ad aſpiciendam naturam certo Ordine.*

Phyſica Ariſtotelis complectitur libros Octo Phyſicorum: in quorum primo, tractat Ariſtoteles de tribus Rerum Phyſicarum Principiis, Materia, Forma, & Privatione. In ſecundo, De Natura & naturalium rerum Cauſis. In tertio, De Motu & Infinito. In quarto, De Loco, Vacuo & Tempore. In quinto, de Speciebus, Unitate, & Contrarietate motuum. In ſexto, De Diviſione motûs in partes

tes, ex quibus constat. In septimo denique & octavo, Investigatur primus Motor, ejúsque Attributa. Súntne hæc prorsus inutilia ad sciendum omni ætati? Complectitur itèm Physica Aristotelis, eruditissimos & doctissimos Aristotelis quatuor libros de Elementis, & Cælo: libros quatuor de Meteoris & Problemata: libros duos de Generatione & Corruptione rerum: libros tres de Anima.

Complectitur itèm Sapientissimos libros Aristotelis, quos nostrates Philosophi, *Parva Naturalia* id est. *Parva de rebus Naturæ Opuscula.* inscripsère: Súntque isti: De Memoria, & Reminiscentia: De somno & Vigilia: De somniis & Divinatione per somnium: De Respiratione: De Juventute, & Senectute: De Vita, & Morte: De longitudine, & brevitate vitæ. Hæccíne non utilis Materia ad sciendum? Hæccíne talia in quibus nihil est Scientiæ rerum naturalium? Ità est: Dicit insipiens Lutherus: & adhuc addit ibidem Epistola 100. *Utilior longè est Beroaldi aliqua Declamatio, quàm prædicta,* O Judicium, ab omni prorsus recto judicio remotissimum!

IX.

DUbium est, an Homo sit propriè animal. Tantùm mortalis & vitæ hujus homo, est Animal rationale, Sensitivum, Corporeum. In Theologia non

eſt verum, hominem eſſe Animal rationale. Tom. 1. Lat: Viteb:

Quanta ruditas Lutheri in Philoſophicis!

QUis unquam Philoſophorum & Sapientum dubitavit: Hominem eſſe propriè principium Senſationum, proinde propriè eſſe animal? Dico: *Philoſophorum & Sapientum* penetrantium benè, ſcilicet Terminos. Si enim ruſticus, vocaretur *Animal*: fortè clamoribus & pugnis refragaretur ad vocem *Animal*: putans ſe bovem tunc appellari. Si tantùm mortalis, & vitæ hujus Homo, eſt Animal rationale, Senſitivum, Corporeum: nec Beatiſſima in Cælum cum Corpore aſſumpta, nec illi quos in Caput 42. Geneſis commentando, aſſeruiſti Luthère, reſurrexiſſe, & in Cælum aſcendiſſe cum Chriſto, ùt Adam, Eva, Noë, Abraham: nec ulli homines poſt reſurrectionem Corporum erunt Animalia rationalia, ſenſitiva, corporea?

Quomodo verò non corporei tunc Homines, ſiquidem conſtabunt corpore? quomodo non ſenſitivi, ſiquidem Beati oculis ſuis conſpicient Deum Salvatorem ſuum Chriſtum, in carne, percepturíque Senſibus objecta: damnati verò in corporibus ſuis horrendos patientur cruciatus? Quid ergo in Theologia eſt homo? ſi non eſt Animal rationale? eritne animal irrationale? aut aſinus, aut lapis?

JuxtaLutherum, Quidnam Homo eſt?

Reſpondet Lutherus? Tomo 3. in Pſalmum 90. *In Theologia Homo verè eſt ſtatua ſalis, ſicut uxor Lot.* Cur pariter Homo in Theologia non ſit bos comedens fænum, ſicut fuit Nabuchodonoſor? Cur non pulvis & cinis juxta illud Genes 18. v. 27. *Loquar ad Dominum, cùm ſim pulvis & cinis.* Cur non vulpes, ùt dixit quondam Chriſtus de Herode

Luc:

Luc: 13. v. 32. *Dicite Vulpi illi.* Cur non canis, juxta illud Apoc: 22. v. 15. *Foris Canes.* vel Arbor, juxta illud Danielis 4. v. 17. *Arbor, quam vidisti, tu es Rex.* Quodsi admittatur Responsio Lutheri, cur non posset dici de ipso Luthero, quòd fuerit ipse in Theologia animal irrationale aut stipes: multò minus aberraret is, qui diceret Lutherum fuisse statuam salis: maximè cùm S. Augustinus per statuam illam salis, dicat denotari Apostatrices & Apostatas, qui votum castitatis infringunt, qualis utique fuit Lutherus & ejus Uxor Borrha? *Nemo* (inquit S. Augustinus in Psal. 75.) *positus in Monasterio frater dicat: Recedo de Monasterio, neque enim soli, qui sunt in Monasterio, perventuri sunt ad Regnum Cælorum. Respondetur ei: sed illi non voverunt, tu vovisti, tu retrò respexisti. Mementote Uxoris Lot. Quæ Virgo castimonialis respexit ad Nuptias, non quia voluit nubere, damnatur: Sed quia jam ante recesserat & fit Uxor Lot, respiciendo retrorsum.*

Potéstne dici de Luthero, quòd fuerit statua salis?

Nota Dum dicitur quod Uxor Lot sit conversa in statuam salis, intellige: solum corpus illius miraculosè sic esse conversum; Anima enim, utpote Spiritualis & immortalis, non periit nec mutata est in statuam salis. Statuam illam inter Engaddi & mare mortuum etiam nunc exstare docet Adrichomius.

Qualiter Uxor Lot versa in statuam?

X.

POstquam receptum est, tot esse Formas Substantiales, quot composita: necessariò & tot esse Materias fuerat recipien-

dum. Thesis 32. in Disputatione Heidelbergæ habita, Anno 1518. Exstat Tom. 1.

Materiæ tot, quot Formæ substantiales totales.

Receptissimum est apud omnes Philosophos Peripateticos Classicos, defacto tot esse Materias numero distinctas, quot sunt Formæ substantiales totales, saltèm contrariæ: siquidem ejusmodi duæ Formæ, non possunt naturaliter, unam eandémque numero Materiam informare. Dixi. *Totales.* Quia est probabilis Sententia sat multorum, dari formas partiales substantiales in partibus heterogeneis compositorum viventium, unà cum forma totali Substantiali. Dixi. *Saltèm contrariæ:* quia non Classicorum Recentiorum est Sententia quorundam, asserentium, posse naturaliter duas formas totales disparatas esse simul in una numero materia. Rationem hujus asserti sui afferunt hanc. Quia (inquiunt) Materia est capax duarum formarum Substantialium totalium, & formæ substantiales disparatæ totales, non se invicem excludunt è subjecto: sicut enim Accidentia disparata non excludunt se à subjecto, sed solùm contraria: sic etiam disparatæ Formæ substantiales non excludent se, sed non nisi sibi contrariæ. Verùm, probabilissimum est, nullas absolutè formas totales substantiales, posse esse simul naturaliter in eadem numero materia. Rationes hujus solent dari hæ: primò. Quia Forma Substantialis totalis est aliquod dominans in composito, ità ut respectu illius altera pars, sit subjectum, ipsa verò sit quasi domina illius, utpote pars præcipua, & principiativa operationum: unde sicut in Ordine morali, non datur dominium duorum in solidum; ità in ordine Physico, una forma totalis substantialis non vult

Non posse naturaliter esse duas simul Formas totales disparatas in eadem Materia, probatur.

vult naturaliter secùm dominari alteram formam sibi non subordinatam, ídque etiam propter vitandam confusionem in operando, & propter bonum regimen compositi. Et sicut Pater sinè gravi aliqua necessitate, non tribuit duobus simul Filiis unum eundémque agrum totum, & totaliter: ità & natura unam eandémque materiam numero, tanquam hæreditatem non simul tribuit duabus formis substantialibus. Secundò: Tum quia sufficienter materia completur per unam formam totalem: & ad nullius rei exigentiam ponerentur duæ formæ totales. Tum quia aliàs dici posset, posse simul naturaliter poni in eadem numero materia, formas decem, vel viginti. Tum quia Generatio unius, est corruptio alterius, saltèm naturaliter loquendo. Ergo generatio formæ substantialis, est corruptio formæ præcedentis. Tum quia nunquam nos experientiâ docuit, in aliquo composito inventas fuisse simul duas formas substantiales totales, informantes materiam. Ergo apparet, quòd id naturaliter fieri non possit. Cur enim quod Naturæ viribus fieri potuit, hucusque nunquam factum fuerit? Meritò proinde in Scholis nostris prohibita est doceri Propositio hæc. *Possunt duæ formæ ultimæ & non subordinatæ, esse naturaliter in eadem materia.*

XI.

METaphysica Aristotelis penitùs aboleatur, & exterminetur. In Libro de Reformatione Christianæ Reipublicæ.

Quæ-

Metaphysica Aristotelis continet multa, scitu dignissima.

QUænam Causa tam exitialis & exterminativi Decreti lati contra Aristotelis Metaphysicam? Utique in illa Sapienter ab Aristotele tractatur de rerum Causis & Principiis? opiniones erroneæ Veterum circa ea convelluntur? Philosophiam, rectè veritatis scientiam esse, probatur, nec dari formam à singularibus separatam? Tractatur itèm bene de substantia, Relationibus & aliis Prædicamentis, de attributis Entis, de motu, infinito, de divisionibus motûs, de Universi bonitate. Utique sat rectè Aristoteles in lib. 12. Metaphysic: ex motu cælorum probat Intelligentiarum existentiam, eásque esse productas asserit 2. Metaph: dicens: *Quod maximè est Ens, est Causa aliorum omnium.* Et 1. de Cœlo. cap. 9. ait: *Intelligentias, habere esse & vivere à Prima.* Nónne sapienter, libro 12. Metaph. docet existere Primum Motorem, illúmque esse Substantiam & Ens Optimum, esséque æternum & purum Actum. *Est* (inquit) *aliquid, quod non motum movet, quod æternum & Substantia & Actus est.* Et. *Cùm tres sint Substantiæ, duæ quidem naturales, alia autem immobilis, de hac est dicendum: quòd necesse est, perpetuam aliquam & immobilem substantiam esse.* Nónne in eadem Metaphysica, ex contingentia in existendo rerum creatarum, doctissimè infert Dei existentiam dum dicit 2. Metaph: t. 30. *Quod potentia est, contingit non esse: Oportet igitur esse tale Principium, cujus substantia, Actus sit: quo namque modo movebuntur* (Entia de potentia ad existere actu) *si nulla erit Actu Causa.* Probat item in 2. Metaph. dari Causam Primam, taliter. *Mediorum, quorum extra aliquid ultimum & primum est, necesse est, quod prius est, esse Causam eorum, quæ post illud sunt. Si enim dicere nos Oportuerit, quod Trium Causa est, primum dicemus. Non enim ultimum: nullius enim, quod ultimum est: neque medium, unius enim.*

Nihil

Nihil enim differt, unum, an plura sint: nec finita aut infinita: infinitorum quidem hoc modo, & omnino infiniti omnes partes mediæ sunt, similiter hucusque: quare si Primum nihil est, omnino nulla Causa est. Illos itèm qui censuerunt Causam Mundi, non esse Intellectum aliquem præstantem, dicit locutos fuisse ùt ebrios. Unitatem itèm DEI insigniter probat in fine libri 12. Metaph: Vide supra dicta in Tractatu 1. sub Propositione secunda.

Cur ergo judicio Lutheri penitùs abolenda, & exterminanda Metaphysica Aristotelis, continens plurima (ex quibus aliqua innui) ad sciendum dignissima, quin & pleraque saluberrima ?

Si Lutheri Quispiam Patronus opponat, Contineri etiam quædam erronea: utì, quòd Intelligentiæ omnes sint ab æterno, & absolutè indestruibiles. Respondetur. Non diffiteor hæc Aristotelem scripsisse in sua Metaphysica, & errâsse: verùm si hæc ideo abolenda foret, nunquid non omnes libri Veterum Philosophorum & Volumina Ciceronis aliorúmque Oratorum & Poëtarum Gentilium Scripta, aboleri deberent, utpote non immunia ab erroribus & quidem gravioribus ?

XII.

OMne quod existit, eo ipso, quòd existit, simplex est. In Colloq. Mens. titulo de Artibus.

QUomodo omne existens simplex est ? Utique Leo, Homo,

Plurima existunt, non simplicia.

mo, planta, lapis &c. existunt & non sunt simplicia; siquidem componuntur essentialiter ex Materia & forma unitis? Concreta itèm accidentalia, ùt lac album, dulce, paries coloratus, aqua frigida, ignis calidus, aër humidus, componuntur ex subjecto & formis accidentalibus? Christus Dominus existens constituitur Naturâ humanâ & Personâ Verbi? Siccíne acervus lapidum, Exercitus, est quid simplex? Imò ipsa materia prima, & forma quælibet materialis, non est omnino simplex in se, cùm constet partibus se integrantibus. Nullúmque absolutè Corpus dari defacto essentialiter simplex, docent communiter Sapientissimi quique. Quin & Angelos esse compositos ex Natura & Suppositalitate distincta realiter, vel modaliter à Natura Angelica, censent multùm probabiliter plurimi Theologi.

XIII.

ABsurdè dicitur, Angelum nec esse rationalem, nec irrationalem. Epist. 54.

Angelus est Ens Intellectivũ.

Cur non est propriè rationalis.

SIcut non absurdè dicitur, Deum nec esse rationalem, nec irrationalem, sed esse Ens Intellectivum à se: ità minimè absurdè dicitur, Angelum nec esse rationalem, nec irrationalem, sed esse Ens Intellectivum, à DEO efficienter productum: Angelus enim non est propriè rationalis, cùm esse propriè rationale, sit, habere potentiam ratiocinandi, dependenter à Phantasmate, & circa objecta quæcunque etiam evidentia: Angelus verò independenter à Phantasmate,

te, cognoſcit objecta, ùt certum eſt: nec Angelus in ſententia communiori, diſcurrit formaliter circa ea, quæ cognoſcit evidenter intuitivè, & in ſe: Siquidem unico Actu ea cognoſcit, vel in illis ipſis, vel quidditativè in Cauſis eorum. Quò quis enim ex hominibus etiam, eſt mente capacior, eò plura, paucioribus Actibus cognoſcit.

Item, cùm Angelus ſit medius in Eſſendo, conſequenter in operando, inter Deum & hominem. Ergo ſicut Deus omnia cognoſcit unico actu: homo autem pluribus etiam circa ea verſatur, quæ evidenter cognoſcit; ſequitur, quòd Angelus, utpote mente capaciſſimus, & medius inter DEUM & hominem, unico Actu cognoſcat illa, quæ evidenter cognoſcit. Nec procedit tunc Angelus à noto ad ignotum; quia ubi omnia evidenter ſupponuntur eſſe cognita, nihil eſt inevidens & ignotum. Ergo tunc non diſſcurrit formaliter. Inquam *Formaliter*, quia de virtuali diſcurſu, non nego. Poteſt enim Angelus cognoſcere objectum unum ex alio, vel per aliud, vel in alio, tanquam in medio cognito: quæ cognitio eſt diſcurſus virtualis: licèt enim non ſit tranſitus à cognitione ad cognitionem, eſt tamen ab Objecto ad Objectum.

XIV.

MAthematica facit mœſtos, Theologia Peccatores. In Colloqu. Menſ. tit. de Artibus.

Matheſis eſt Scientia depulſiva mœroris.

QUa ratione Mathematica facit mœſtos, & cur? cùm dicat

dicat Spiritûs Sanctus Sapientiæ septimo. Scire dispositionem Orbis Terrarum, & virtutes Elementorum, initium & consummationem & medietatem temporùm, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni Cursus, & Stellarum dispositiones (quæ Scientia est Astronomia & Geometria, proinde partes præcipuæ Mathematicæ) dicat inquam Spiritus Sanctus, hoc scire, hanc scientiam præferendam esse Regnis & sedibus: & divitias nihil esse ducendas in comparatione illius. Et, si teste Hesiodo: Felix est, qui potuit rerum cognoscere causas: Quidni & felix reputandus, qui scit prædicta? Rectè scripsit Aristoteles 10. Ethic: cap: 7. quod maxima delectatio est, quæ est secundùm Operationem Sapientiæ.

Cur Mathematica facere debeat mœstos? cùm Ptolomæus in principio Almagesti secundùm traditionem Arabum, asserat, Astronomiam esse unam præcipuam viam ac semitam ad sciendum Deum altissimum. Unde. & S. Patriarcha Abraham, ex iis quæ contingunt circa Solem & Lunam, ex omnibus quæ circa Cælum semper eveniunt, docebat Chaldæos, Deum Creatorem unum esse cunctorum, ùt refert Josephus lib. 1. Antiquitatum cap. 15. Et Aristoteles ex motu Cælestium Corporum invariabili, investigavit libro octavo Physicorum, Primum Motorem æternum, omnísque mutationis expertem.

Certè, ùt alios plurimos præteream, Tycho Brahæ, Prænobilis Danus, & Mathematicus, libens se omni alia mundana voluptate privavit, & à somno, pænè totis noctibus, etiam hyemalibus, in ea Regione frigidissimis, abstinuit per annos plurimos, ut totus esset in Contemplatione Stellarum & motuum Cælestium, ex sua Crystallina

Domo

Domo, quam in ſumma Arce exſtrui curaverat, háncque Contemplationem meritò cenſuit ſibi eſſe voluptuoſiſſimam, depulſivámque mœſtitiæ.

Theologia Lutheri, facit peccatores.

Non Catholica, ſed Lutheri Theologia, quòd faciat peccatores, libens concedo. Nónne enim ad peccata, incredulitate excepta, impellit Lutherus ſat efficaciter ſuæ Theologiæ principiis illis? *Eſto* (inquit Epiſtola 238.) *peccator, & pecca fortiter, ſed fortiùs fide, & gaude in Chriſto, qui Victor eſt peccati. Sufficit, quòd agnovimus per divitias gloriæ DEI Agnum, qui tollit peccata Mundi, ab hoc non avellet nos peccatum, etiamſi millies, millies uno die fornicemur, aut occidamus.* Itèm in Poſtilla, Concione 1. habita ſecunda die Pentecoſtes. *Nullum eſt ampliùs peccatum, nisì non credere. Summa ſummarum, non credere in Filium Unigenitum, id unicum, & ſolum eſt peccatum in mundo, propter quod Mundus judicetur.* Et Homilia in Evangelia, Dominica quarta poſt Trinit: *Ante Deum nulla re egemus, nisì ſolummodo nudâ fide.* Non ſic Theologia Apoſtolica & Orthodoxa. Hæc enim docet quodlibet peccatum mortale, ab homine etiam fideli commiſſum, eſſe dignum pœnâ æternâ, & nisì deleatur per pœnitentiam, excludi per illud hominem in æternum à Regno Cælorum, puniendúmque æternâ pœnâ damni & ſensûs. Docet, Omne peccatum mortale, eſſe in ſe ferè infinitæ malitiæ, pro illóque à nulla pura creatura poſſe condignè ſatisfieri. Docet: Nullum poſſe eſſe certum certitudine fidei, abſque Speciali revelatione, de remiſſione peccati mortalis, à ſe antea commiſſi.

(o)

XV.

ETHica lectio planè est ad Theologiam, lupus ad Agnum. In libro contra Silvestrum. Tomo. 1.

Ethica lectio proficua Theologo?

QUidnam nocet Ethica lectio Theologiæ? nocétne, quòd doceat cum Aristotele, à Voluntate non posse amari malum ùt malum formaliter, nec odiô haberi bonum ùt bonum formaliter. Quòd entia, bonum suum appetant. Quòd nemo possit simul & semel appettere duos fines totales: Creaturæque intelligentiâ præditæ agant propter finem formaliter perfectè: creaturæ verò cognitione sensitiva instructæ, non agant propter finem formaliter perfectè, sed tantùm imperfectè: Creaturæ demum inanimatæ, seu omnis cognitionis expertes, agant propter finem materialiter tantùm.

Nocétne Theologiæ Ethica, quòd doceat, Virtutes morales consistere in mediocritate? Utique ipse Melanthon in Epitome Philosophiæ Moralis, ait. *Hoc nomine etiam amanda sunt Aristotelis Ethica, quòd unus vidit ac deprehendit Virtutes esse Mediocritates: quâ descriptione eruditissimè monet, impetus animorum ad moderationem flectendos & retrahendos esse.*

Imò, quòd Ethica prosit Theologo, demonstro. Latè enim sumendo Ethicam, in re, est Disciplina vitam humanam rectis moribus instruens: Strictè verò sumpta Ethica Actualis, sunt Actus moraliter recti, in ordine ad Finem Ultimum consequendum. Ethica docet Deum non esse Causam per se mali moralis: docet dari Finem ultimum: Beati-

Beatitudinem hominis objectivam veram & propriam, non esse bona fortunæ: ùt divitias, honores, famam, & potestatem: nec bona corporis, ùt sanitatem, robur, pulchritudinem, voluptatem; hæc enim omnia sunt bona fugacia, nec satiativa plenè hominis, multáque ex illis sunt communia belluis. Non bona etiam Animi. Non enim ipsa Anima: alias quilibet homo esset Beatus: Non Potentiæ, & habitûs: quia hæc ordinantur ad Actus, qui ipsi Actus ulterius ordinantur. Sed rectè docet Ethica, DEUM esse Beatitudinem Objectivam: Beatitudinem verò formalem consistere in cognitione ejusdem DEI, & Amore. Quod ipsum non diffiteri videtur Aristoteles. Vide etiam dicta suprà sub Thesi secunda, in Tractatu primo. Horum notitiam prodesse Theologo, quis prudenter negare queat? Quomodo itèm non prodest Theologo Ethica? Siquidem, ipso Melanthone teste, prodest Ecclesiæ. *Sed dicet aliquis* (inquit ille in oratione de Aristotele.) *Quid Physicis & Ethicis opus est Ecclesiæ? Hæc Interrogatio, verè est Scytharum Scythicúmque dictum.*

Non Ethica Lectio, verùm approbativa lectio Scriptorum impiorum & doctrinæ Lutheri, hæc multùm nocet Theologiæ, utpote è diametro in plurimis opposita Sanctæ Orthodoxæ Fidei.

Hucusque dicta contra Lutherum pro Defensione Aristotelis & Philosophiæ, sufficiant cedántque in Honorem Ejus, qui ùt legitur in Scriptura 1. Reg. 2. v. 3.

Deus Scientiarum est.

(o)

Index

Index Rerum notabilium quæ in hoc libro continentur.

A.

Autho-

M.

N.

O.

P.

U.

O. A. M. D. G.